

Ignatius Weitenauer

‘Annibal moriens’

Tragoedia
(1758)



Jan-Wilhelm Beck
Institut für Klassische Philologie
Lehrstuhl Lateinische Philologie
Universität Regensburg
Universitätsstraße 31
93040 Regensburg
Dezember 2007

Argumentum et Animadversiones

I. Nemo unquam in Romanos vel pugnis felicior vel odio acrior Annibale fuit. cui summam gratiam debebat Carthago, sumnum dedecus rependit ingrata et exilio multavit eum, per quem toties Romam terrarum dominam superarat. ad alios primum, denique ad Prusiam confudit Annibal, Bithyniae regem, timidi virum animi et inconstantis. veteri odio in Romanos incensus, belli adversus Eumenem Romanorum socium gerendi et auctor Prusiae et dux fuit. at Romani ad Prusiam T. Quintium Flamininum oratorem mittunt, qui ab rege contendit, ut Annibal Romanis deditur. frustra pro hospite deprecatus rex, cessit ad extrellum et fugam, quam parabat Annibal, custodiis circa arcem collocatis impediit. ergo Annibal venenum, quod ad id pridem paratum habebat, ex annulo haurit et miserando exitu docet, odium nimium in pericula semper, non raro et in exitium ducere. Livius l. 21 - 39, Cornel. Nepos in Annib.

II. *Heros tragicus* seu persona Tragoediae princeps, quamvis esse possit, nequaquam tamen semper esse debet *Heros ethicus* seu moralis, qui virtutis magnitudine vitium omne excludat. demonstrant id luculenter omnium gentium aetatumque Tragoediae. imo Aristoteles in Poetica ceteris omnibus Heroem tragicum illum praefert, qui inter virtutes eximias aliquid tamen habet vitii, propter quod in hoc ipsum infortunium incidit. inde miseratio simul ac terror existunt, in quibus tanquam duobus cardinibus Tragoedia vertitur, ut ex eius definitione constat. miseremur Annibal, dum eum et ab Romanis et ab ipsis Carthaginiensibus premi desertumque ab omnibus in exitium impelli videmus. idem vero tanti viri discrimen et exitium spectantes absterret, ne odia foveant, unde tantum periculi malique oriri vident. nimium hoc Annibal in Romanos odium, ab ipsa historia suppeditatum, nervosos et concitatos affectus praebuit; quos tamen progredi longius non sum passus, quam verus Herois mei character et vitae historia me deducebant. huic odio servire cogit omne animi robur, omnem ingenii vim, omne auctoritatis pondus et calliditatis Punicae artem, qua uti eum consuevisse, historici omnes Graeci Latinique tradunt. lamentis indulgere, non erat huius viri; neque tamen idcirco aut mala sua non sentit aut minus misericordiae a spectatoribus obtinet atque etiam meretur. *etenim si in gladiatoriis pugnis,* inquit M. Tullius, misericordiae ciendae peritissimus artifex, Orat. pro Mil., *fortes et animosos et se acriter ipsos morti offerentes servare cupimus eorumque nos magis miseret, qui nostram misericordiam non requirunt, quam qui illam efflagitant, quanto hoc magis in fortissimis civibus facere debemus?*

III. Prusiam regem levem ac timidum facio, qualem fuisse historia docet. Thomae Cornelii Prusias, in Annibale Tragoedia, homo est nullius omnino fidei et periurus proditor. fuerit talis, si quis ita velit; sed ego praecepti Aristotelici memor, peiorem exhibere nolui, quam erat necesse. ergo necessitate potius adactum suaque mobilitate et metu impulsu malui; cetera Annibal amantisimum. ipso etiam in extremo articulo Prusias meus nil decernit gravius, quam ut Annibalem protegere desinat et sibi ipsi relinquat. equidem Thomas Cornelius Prusiam puniit, et filii quidem Nicomedis manu. sed is modus Petro Cornelio magno, Thomae fratri, tam horribilis et barbarus visus est, ut in Nicomede Tragoedia, ubi proprius erat eius rei locus, parricidium introducere non auderet, sed historiam potius immutandam duceret. mihi autem praesenti suppicio non fuit opus: mala, quae ex Romanorum amicitia impendebant, Annibal ore praenunciantur; cetera, quae filii odium peperit, nihil ad rem hanc nostram. multo aptius ad animi motum censui, si et Prusias et praesentes alii omnes Annibal fato ingemiscerent suoque dolore spectantium miserationem augerent.

IV. Legatus Romanorum Flamininus Annibalem gloriam non parum illustrat. sive adulatur sive minas intentat, superior appetet Heros. ipsa eius contentio, quae Annibalem timeri ab Romanis ostendit, eius magnitudinem auget. praesentia Flaminini efficit, ut totum Bellum Punicum alterum, quo nihil est in historia Romana illustrius, in unam Tragoediam collectum cernatur. argumenta Flamininus profert, quibus id agit, ut iuste Annibalem sibi deposcere Romani videantur. respondet tamen Prusias et coloratos hos titulos ita diluit, ut satis appareat, eum non iusta aliqua ratione adductum, sed minis ac terrore percussum ab hospitis sui patrocinio discedere. denique Flaminino comparatus Annibal, ubique ostendit, se non modo victorem olim, sed nunc etiam, exulem et proditum, insuperabilem tamen Romanis esse.

V. Annibal filium, eiusdem cum patre nominis, ex historia sperabam certissimum, quod meminisse, Annibalem minorem, Annibalis filium, e Polybio ubique laudari. verum ipse Polybius, Hist. l. 1 c. 43, narrat ille quidem Annibalem ab Himilcone duce missum eumque Annibalis filium, sed longe diversi eius, qui in Sardinia vitam finierat. alio igitur converti animum et hunc meum Trabeam excogitavi. quaecunque filii huius natales aetatemque veri similem efficere potuere, concessi in Scenam quintam et sextam Actus primi ac testimoniis additis munii. personae huius inventio ad illustrandum characterem Annibalis plurimum contulit; nam fere quoties cum filio pater agit, antiquum illud in Romanos odium magis eluet. sed et poena huius odii gravissima a patre datur per hunc ipsum filium, qui neque tam sero ab Annibale agnosceretur neque ad

necem a Gisgone deposceretur neque tam celeriter et indigne periret, si pater comprimere vim odii maluisset. nomen Trabeae femininum nequem offendat, cogitandum est, id frequens in Romanorum historia esse. scimus L. Muraenam et C. Fimbriam, e Cicerone; Merulam, Flaminem Dialem, e Floro; ex eodem Calpurnium Flammam et Antonium Flammam, e Tacito; Tullium Lauream et Antonium Musam, e Plinio maiore; Musam alium, rhetorem, e M. Seneca; Merendas duos, Cornelium Dolabellam, Cornelium Scapulam, Aemilium Barbulam, Cornelium Arvinam, omnes e Fastis Consularibus. ne plures, ipsum Trabeae nomen exstat in celeberrimo poeta comico Trabea, cuius locos retulit M. Tullius l. 4. Tusc. et l. 2 de Finib. Volcatius autem Sedigitus l. de Poetis et ex eo A. Gellius Noct. Attic. l. 15 c. 24 Trabeam hunc inter Comicos Latinos octavum numerant.

VI. Thomas Cornelius Annibali suo non filium, sed filiam affingit, Elisam; hac enim indigebat, ut amoribus locus esset deque nuptiis conficiendis agi posset. enimvero Elisae character est numeris omnibus absolutus eademque est Ariadne, quae sola filum universae Tragoediae praebet. memorabilis est illa Elisae vox, Annib. Actu I Scen. V.

*Miseratio, meis debita quotidie malis,
Vix ullum amori dat locum in suspiriis.*

Quod in ipsum Tragoediae auctorem non iniuria torqueas dicasque, amorem, qui per omnes illius poematis Scenas regnat, vix ullum relinquere miserationi locum. idque plurimis evenit ex earum Tragoediarum numero, quae in amoribus totae sunt, hosque dum consequantur, etiamsi magnos passus faciant, certe extra viam faciunt.

VII. Carthaginienses omnino praeterire non placuit, duabus potissimum de causis: primum, quia ingratae civitatis iniuria longe altius descendunt in spectatoris animum magisque misereri Annibalis cogunt, dum cernitur et auditur torvae gentis legatus, quam si de absentibus Poenis tantummodo narrarentur; deinde, quia nemo aptius redarguere Annibalis odium potuit et ostendere, id non patriae amorem esse, ut videri volebat Annibal, sed pervicaciam ab ipsa patria damnatam. curatum tamen est, ne Gisgonis haec reprehensio in spectatore favorem minueret adversus Annibalem, quandoquidem tantum de miseratione detrahitur, quantum de favore in Heroem amittitur.

VIII. Singulare Tragoediae ornamentum est, si fundamentis historiae, quoad licet, in personarum nominibus, dictis factisque nitatur; quod iam olim ab Aristotele in Poetica, deinde a magno Petro Cornelio et nuper a felicissimo poeta tragico Antonio Claudio est animadversum. eo enim veri similiora fiunt omnia, et personarum imagines quam proxime ad naturam accedunt. quapropter ingenti studio non in Annibale tantum, sed in ceteris quoque Tragoediis meis elaboravi, ut veram singulorum effigiem, veras voces, veros eventus aut afferrem aut e propinquo aemularer. quod quoniam non cuivis lectori memoria ultro suppeditatura est, subiectis auctorum testimoniiis ubique admonui; et molestiam in me suscipere non mediocrem, quam erudita voluptate lectorem carere malui.

IX. Veritas, quae totum istius Tragoediae corpus animat, haec est: qui odio indulget, periculo se exponit. fabula generalis, ex Aristotelis in Poetica prescripto, veritatem hanc ita docet: fuit Heros bellicus insignis, qui gentem suae patriae infestam et noxiā armis persecutus est diu et feliciter, sed acerbe. odiis deinde progressus longius, cum eius patriam inter et hostem pax esset composita, ipse tamen hostilem animum non modo non exuit, verum etiam alia ex aliis in vetrem illum, non iam patriae, sed suum hostem, machinari non destitit. inde gravia illi mala ac tandem exitium natum est. generali huic constitutioni fabulae, ut iubet Aristoteles, nomina propria et singulares circumstantias ex historia petii; sed iis ad finem Tragoediae recisis, veritatem primariam, quam toto poemate docueram, et fabulam generalem ultimis tribus versiculis ita conclusi:

*Ille imperator, terror Ausoniae unicus,
Quem nulla potuit dextera exitio dare,
Abreptus odio, fata miseranda invenit.*

Personae

| | |
|------------------------|-----------------------------|
| Annibal | |
| Prusias | rex Bithyniae |
| T. Quintius Flamininus | Legatus Romanus |
| T. Flamininus Trabea | Quintii ex sorore nepos |
| Gisgo | Legatus Carthaginiensis |
| Aristo | Tyrius, Annibali familiaris |
| Milites | |
| Comites | |
| Ephebi | |

<Mars>

<Chorus variarum gentium, duce Bithyno>

<Genius Fortunae>

<Pharnaces>

<Mithridates>

<Tiridates>

<Bititius>

*Scena figitur in arce Annibalis ad fluvium Libyssum,
haud procul Nicomedia.*

Prologus

Mars, Chorus variarum gentium, duce Bithyno, *deinde* Genius Fortunae

- Mars Agnosco haec trophyea,
Dona olim mea.
His Annibalem meum ornavi,
His nomen heroi aeternum paravi.
Sed vos quae causa huc evocat? 5
Bith. Annibalis salus nos congregat.
Adsumus Bithyni, Syri, Graeci, Itali,
Iberi, Celtae, Phoenices et Libyci:
Omnes Fortunam precamur
Et pro Annibale Deos teque, Mars, obtestamur. 10
Mars Quid imminet novi periculi?
Bith. Romani minantur exuli.

Ode

I.

- Succurre, Iupiter!
Quem ipse ad bella misisti,
Cui ensem fatalem dedisti, 15
Ne cadat turpiter!
Ch. Amica Carthaginis Iuno,
Quam multa hoc perdis in uno!
O domina!
Ah, ducem adiuva! 20

II.

- O magne Hercules,
Quem aemulus noster sectatus,
In Alpibus stetit armatus,
Ne ruat nostra spes!
Ch. O Tyriae columen gentis, 25
Tot vinclis te saepe stringentis,
Ah, turpia
Averte vincula!

III.

- Fortuna, respice!
Te duce tot neces vitavit, 30

| | | |
|-------|---|----|
| | Aut hostes fefellit aut stravit: Ne illum confice! | |
| Ch. | Tot millium inclytus victor Parebit, cum iusserit licitor? Ah, opem fer, Gradive lauriger! | 35 |
| Mars | Miseret me Annibalis, Summi et ducis et militis. Sed Romanos an deseram? Meone Romulo Poenum paeferam? | 40 |
| Bith. | Non, ut paeferas, petimus; Satis est, si Annibal non oneratur compedibus. | |
| Mars | Vtinam ambo quiescant! Vtinam fata iram utrorumque compescant! | |

Ode

I.

Annibal, o mea lux!
Magne tot bellorum dux!
Sat est tandem bellis datum,
Pugnat pro Romanis fatum:
Pone tandem odia,
Mitiora cogita.

45

50

II.

Nimium o aspera
Romanorum pectora!
Non iam Cannas formidatis,
Non Saguntum vindicatis:
Victor orbis popule,
Abstine ab exule.

55

III.

Quo haec tendunt nimia
Vtrorumque odia?
Bella gerant galeati;
Vos quo ruitis pacati?
Extinguatur belli fax,
Dum vos pridem iungit pax!

60

Bith. Nunquam Annibal odium exuet.
 Mars Sed an Fortuna coeptis annuet?
 Ego, veteri more, sequor Fortunam,
 Illam ducem respicio unam. 65

Ch. O Fortuna, rursum ave
 Et periclitanti fave,
 Magna rerum domina,
 Sortis omnis arbitra,
 Ave!
 Fave! 70

Gen. *superveniens*
 Audite fatorum et Fortunae decreta!
 Mars Romaene an Annibali laeta?
 Gen. Fortuna Annibali pridem amata
 Et mille ab eo annulis pridem est desponsata.
 Arrhae loco et ipsa promittit annulum,
 Victura cum ipso supremum periculum.
 Bith. O laetum auspicium!
 O beatum annulum! 80
 Gen. Ego ille sum Fortunae Genius,
 Missus olim ab Iove Annibali nuncius;
 Qui iuvenem primus ad tela vocavi
 Et ruinam Italiae nunciavi.

Ode minor

Quos olim praedixeram caeli fragores
 Et saevos Poenorū in Tibrim furores, 85
 Tristia fulgura,
 Rapida fulmina,
 Vulnera,
 Funera,
 Strages, ruinas,
 Plagas divinas,
 Eventus probavit
 Et fidem firmavit.
 Eadem nunc fide ostendo futura
 Et vos ac Annibalem libero cura. 95

Bith. Iam pectus metu sollicito caret.
 Gen. Dicam, quid Fortuna, quid Iupiter paret.

Ode

I.

Rursus Annibal certabit,
 Actus ira vetere;
 Rursus Roma repugnabit,
 Non pacata foedere.
 Poenus victor triumphabit
 Et securus debellabit.

100

II.

Fractis te Quiritum minis
 Cinget nova laurea,
 Tutus conquiescat cinis
 Plaga in Libyssina.
 Nomen tuum perennabit,
 Nil hanc lucem maculabit.

105

110

III.

Ch. Laeti plaudimus victori,
 Celebramus lauream;
 Palmam Romae domitori
 Gratulamur ultimam.
 Poenus victor triumphabit
 Et securus debellabit!

115

Mars Id si Iupiter et Fortuna statuit,
 Amicus Annibali Mavors annuit.

Actus primus

Scena prima

Annibal, Aristo

- Ann. Hic opperiri Quintii adventum placet.
Suspensus animus haeret et fata aspera
Perferre suetus, impetum expectat novum,
Forsan supremum. Roma funesta imminet. 120
- Arist. Imminuit illa saepe, funesta haud fuit.
- Ann. Forsan erit hodie, Quintio diro duce.
Infestiorem neminem in nostrum caput
Immittere sagax poterat Ausoniae furor.
Ego Flaminino consulem eripui patrem,
Thrasymera quando littora cruento imbui.
In Quintio uno me petunt hostes duo,
Legatus atque filius vindicta patris. 125
- Arist. Video periculum! publicis in te ruunt
Odiis Quirites, iste privata adiicit.
- Ann. Amate Aristo, tanta terrarum et sali
Emense mecum spatia, quam Carthagine,
Quam cuncta mihi per regna servasti fidem,
Eam, hoc pericolo pressus, et spero et peto. 135
- Arist. Te propter, heros, patria carui Tyro;
Te per procellas, bella per, per tot fugas
Secutus usque, vita dum durat, sequar.
Accedit hostis, alloqui solum petens. 140

Scena secunda

Annibal, Quintius, Quintii Comites

- Quint. Vix urbe visa regia hesterno die,
Tuam hanc in arcem protinus verti gradum;
Secunda quippe ab rege tu cura es mihi.
- Ann. Aliquando prima cura Romanis fui.
Nunc exul et privatus an moveo Patres,
Bithynicae dum regiae vivo cliens? 145

- Quint. Quocunque te transtulerit aut fatum aut fuga,
 Idem ille ubique es, anima bellorum Annibal.
 Fortuna mutat res tuas, te non potest.
 Idem ardet animus, perpeti audax omnia,
 Nihil refugiens arduum, metuens nihil,
 Inter pericla firmus et praesens sibi;
 Quem nec voluptas blanda nec fregit labor,
 Vnam quietem qui solet et unum decus
 Admittere arma; cura cui princeps fuit,
 Annibale ne quis aut eques prior aut pedes
 Milesve duxve tenderet et idem fera
 Primus cieret praelia atque idem ultimus
 Excederet Mavortis absolvens opus.
 Dubium relinquis, maior an sis, cum favens
 Fortuna tibi blanditur, an, cum te premit. 150
- Ann. Orator es disertus et rostris potens.
 Vnam adde laudem ceteris, primam omnium:
 Annibalis odium iureurando sacrum,
 Quo concitatus in Tybrim verti omnia;
 Quaecunque narras, hoc mihi laudum est caput. 155
- Quint. Olim id petebant tempora et constans fides
 Amorque patriae. patriae spes ac opes
 Debemus atque spiritum et famae decus.
 Non tu Quirites oderas, patriae pius
 Sed serviebas; publicus Mars si flagrat,
 Privata nulla causa collidit duces.
 Pax ponit odiis terminum; quam nos sacram
 Fide coluimus integra: Annibalem magis
 Amplexa pace est Roma supremum ducem,
 Quam patrias Carthaginis celsae domos. 170
- Ann. Antiqua memoras. causa quae vocat huc nova?
- Quint. Pacis amor idem. Prusias bello Eumenem
 Prior lacessit, foederum iam non memor,
 Quae Pergamenos iunxerant Bithyniis. 180
- Id Roma cultrix pacis indigne tulit
 Socioque suadet Eumeni pacem sequi
 Vestrumque eandem Prusiam amplecti cupid.
- Ann. Augere palmas Prusias victor cupid,
 Cui Mars secundus moenia et turres domat. 185
- Quint. Tres cepit urbes Prusias, dextra tua;
 Idemque carum filium captum gemit,
 Et Nicomedes Eumeni palmae loco est.
- Ann. Quid Roma, cultrix pacis et regum arbitra,
 Suadere tentet, video; memorabo tamen,
 Quid suadeat Quiritibus contra Annibal.
 Vestri Senatus spiritus altos scio: 190

- Est magna vobis indoles, non utilis.
 Vtlius intra limites clausi Itali,
 Quam, Flaminine, praedicas, pacem colent,
 Aliena nec certamina efficient sua. 195
- Quint. Nostrum putamus, quidquid est sociis grave.
 Ann. Sic totus orbis vester est. dixi satis.
 Si rex quiescit, Annibal pacem probat;
 Sin arma profert longius, ferrum placet. 200
- Quint. Te curia unum, castra te, classis, forum,
 Bithynia omnis rexque te sequitur favens.
 Consule saluti publicae, dum res sinit.
 Aequa utriusque damna sunt: nato caret
 Regum alter, alter urbium amisit decus. 205
- Si pertinaces Eumenis causae bonae
 Adesse Romam cogitis, num se parem
 Tanto Gradiyi ponderi haec censem manus?
- Ann. Hoc censeo unum, qua patent orbis plagae,
 Esse aut fuisse neminem aut unquam fore 210
 Inimiciorem nomini Romae tuae;
 Et me, Deorum numine, hoc fato satum,
 Vt odia vestra persequar, dum sim cinis.
 Hic noster animus; plura cum regi loquar.
- Quint. Romae memento.
 Ann. plus satis. regem move. 215
- Abit.*
- Quint. An saevientem protinus iuvat insequi?
 Et praevenire ... sed quis huc tendit celer?

Scena tertia

Quintius, Aristo

- Arist. Res nuncianda poscit Annibalem nova
 Et Flamininum.
- Quint. Prusias an me vocat?
- Arist. Properabit equidem Prusias; utque audio, 220
 Arci propinquus, regia ex urbe advenit.
 Sed Flaminini copiam fieri sibi
 Nunc aliis hospes nemini optatus petit.
- Quint. Optatus hospes nemini? meque is petit?

| | | |
|--------|--|-----|
| Arist. | Vix ortus hodie Phoebus extulerat iubar, Vix tu relicta Nicomedia viam Nostram hanc ad arcem carpere institeras, Tite, Cum moenia hospes Nicomediae subit, Ex urbe missus Punica Gisgo tibi. | 225 |
| Quint. | Dum redeo, ducet Nicomediae moras. | 230 |
| Arist. | Celerare fertur: Quintum ut nostra audit Subisse tecta, Nicomedia exiit Nostramque ad arcem flexit actutum viam. | |
| Quint. | Ergo imparatum Gisgo et incautum opprimet? Abrumpere omnem iam decet propere moram. Aliquis meorum huc, eia, mihi Trabeam vocet; <i>Abit miles, qui accersat Trabeam.</i> | 235 |
| | Ipsumque par est rursus Annibalem alloqui, Ne Gisgo veniens impigre utrumque occupet. | |
| Arist. | Quidquid vereris, Annibal coram audiet. | |

Scena quarta

Quintius, Trabea

| | | |
|--------|---|-----|
| Quint. | Adesto, Trabea: dabitur Annibali loqui. | 240 |
| Trab. | Dabiturne? laetus audio; et sumnum ducem Hostemque nostrae gloriae summum ardeo Videre pridem, neminem cui Mars parem, Si Scipionem demimus, dedit aut dabit. | |
| Quint. | Poenum videbis, more qui nostro tulit Raptas secures consulum et fasces sacros. Non tot secures tota nunc Roma obtinet, Quot ille nostris cladibus fecit suas. | 245 |
| Trab. | Cupidine viri gestio et totus flagro. | |
| Quint. | Nullusne terror gaudio mixtus tuo est? | 250 |
| Trab. | Trepidare quemquam Trabea, Romanum genus? | |
| Quint. | At Punici oris callidas artes cave: Non mage timendus Annibal pugnat manu Quam mente rerum fertili et laqueis vafris. | |
| Trab. | Consilia, Quinti, me tua labantem erigent. Avunculo confisus haud timeo virum. | 255 |
| Quint. | Nescis pericla, quae tibi minantur, nepos. | |
| Trab. | Heu, quae pericla surgere ignaro canis? | |

- Quint. Mox plura disces; hoc, nepos, moneo, cave.
 Amato Romam et gloriam et magnos avos,
 Ne te ille capiat patriae eversor tuae,
 Ad cuius in nos odia nil addi potest. 260
- Trab. O Roma princeps urbium atque orbis caput!
 O Flamininae stirpis ingentes avi,
 Adeste, vester ne quid indignum nepos
 Concipiat animo, gloriam neve inquiet.
 Tua quoque, Flaminine, me cura adiuvet. 265
- Quint. Mihi deserendus, consules ipsus tibi.
 Trab. Avuncule, pie avuncule, quid affers mali?
 Deserere tu me? quod meum haec meruit scelus? 270
- Quint. Sic Roma statuit, resque me praesens iubet.

Scena quinta

Annibal, Quintius, Trabea

- Ann. Quid Flamininus denuo aut Gisgo movet?
 Quint. Quid Gisgo moveat, ipse non penetro satis.
 At ego, priusquam Gisgo me secum avehat
 Regisque cogat petere me limen redux,
 Nostri Senatus inclytum donum offero,
 Animi fidelis pignus et vinclum novum,
 Quo mutuus amor teque Romamque alliget. 275
- Ann. Pretiosa spondes munera et plusquam inclyta,
 Quibus togatae gentis ad amorem trahar. 280
- Quint. Nil munere isto carius poterat dari,
 Nil maius aut nobilius.
- Ann. attentum facis.
 Quint. Trabeam Senatus mittit ac donat libens.
 Trab. Avuncule ...
- Quint. sile, dum moneo.
 Ann. Trabeam mihi
- Populus Quiritum? vestis augustum genus,
 Quod saepe vidi laetus et spolium tuli. 285
- Quint. Errore lapsus nominis, non me capis.
 Hunc Roma Trabeam, quem vides, comitem viae,
 Hunc Roma iuvenem nobilem donat tibi.
 Te trade, Trabea, munus Annibali novum. 290
- Trab. Quae monstra, Quinti, loqueris? heu, sic me abiicis?

- Ann. Praeclara species! iuvenis Annibalem movet.
 Cum capta sint tot millia e vestris plagis,
 Praestantiorem neminem vidi uspiam.
 In servitutem traditis tantam indolem? 295
- Trab. Prius iste capulus sanguine rubebit meo,
 Quam servitutem aut vincla cuiusquam feram.
- Ann. Pulcre ferocit. unde tibi genus et domus?
- Trab. Avunculum saluto legatum hunc Titum.
- Quint. Mea sorore natus adolescens hic est, 300
 Flaminia puero Salapia lucem dedit.
- Ann. Flaminia mater est tibi, Quintii soror?
 Tibi urbs Salapia patria? quis demum est pater?
- Quint. Illustris, altus, inclytus pater, Annibal.
- Trab. O Dii Deaeque! quis mihi pater? Annibal? 305
- Quint. Audite, pater et nate, quae series rei.
 Dum tu Salapia consides olim, Annibal,
 Paulo ante finem Punico Marti datum,
 Avus supererat noster et propior seni
 Et bella lentis febribus vetitus sequi.
- Ann. Memini: Salapiam flamma fecisset rogum,
 Tanto misertus nisi pepercisset viro,
 In cuius aedes hospitem me ipse intuli. 310
- Quint. Flaminia neptis moverat te plus avo.
 Illius amores, nuptias, thalamos breves,
 Sobolem relictam longa celavit dies.
 Vix clanculum tu duxeras nuptam novam,
 Cum te repente cura bellorum abstulit
 Carthaginemque compulit patriae metus.
- At partu in ipso fracta succubuit soror: 320
 Avo stupenti Punicum fassa est patrem;
 Certas reliquit abditi generis notas,
 Quas hac repostas cistula mittunt Patres.
 Rogum parentis, filii cunas avus
 Curavit, alta nocte secretum tegens.
- Nunc bella, nunc exilia te Roma procul
 Tenuere semper; cautus et lensus senex
 Nullum nec hominem nec viam tutam satis
 Ducebat esse; dum tibi fidit parum,
 Dum nesciente patria tentat nihil, 325
- Vitae supremus denique accedit dies.
 Clausurus oculos, protinus Roma advolo:
 Ille ante mortem grande secretum docet.
 Renunciare Patribus Romae iubet
 Et mihi paterni nominis tradit notas.
- Ego ad Senatum refero; Conscriptis placet 330

| | | |
|--------|---|-----|
| | Per me docere filii casus patrem Statimque pignus reddere Annibali suum. | |
| Ann. | Arcana profers intima: an speras fidem? | |
| Quint. | Iussu Senatus omnia haec spargo palam: Haec cistula affert, quae tibi faciant fidem. | 340 |
| Ann. | Exploro cuncta; natus hic si sit meus, Nil munere isto carius poterat mihi, Nil maius aut nobilius a vobis dari. Romana tamen exempla Scipiadae sequar, | |
| | Cui cum remisit filium Antiochus suum, Gratus reposuit, quae tibi repono modo: Accipio gratus filium; at moneo tamen, Privata distant publicis, nec me impedit | 345 |
| | Amor paternus, iura ne patriae colam: His filium meque immolem, si res ferat. Privata dona, si tamen id exul queam, Tam luculento muneri referam volens. | 350 |
| Quint. | Hoc curia unum poscit, ut credas favens, Te Romae amari publice et amicum peti. | 355 |

Scena sexta

Annibal, Trabea

| | | |
|-------|--|-----|
| Trab. | Quae fata mihi servastis, o patrii Dii? | |
| Ann. | Hac cistula teguntur et fata et pater. Agnosco gemmas Punicas, novi annulum; Novi utriusque literas mixtas manu Et signa soli coniugi nota et mihi. | |
| | At quale charta haec altera indicium facit? | 360 |
| | <i>Legit.</i> | |
| | ‘Flaminia moriens Annibali suo. Annibal, o patria, patre o mihi carior ipso, A me supremum pignus amoris habes. Communem natum Trabeam post fata relinquo: | |
| | In nato matrem fidus amansque cole.’ | 365 |
| | Flaminia scripsit, testis et cera et manus. O cara quandam, cara nunc etiam mihi! Tu post Imilces coniugis fatum asperum Amor alter atque suavior primo mihi, | |
| | Hoc dulce pignus mihi relinquebas thori? | 370 |

- Trab. O magne, formidande, paeclare Annibal,
Tuus ego natus? o Dii! ego natus tuus?
- Ann. Flaminia cepit pectus Annibalis ferox
Et ipsa capta est: patrii leti immemor,
Oblita Romae, petiit Annibalis fidem. 375
- Sed heu, voluptas perbrevis! perdit virum
Rapiente bello sponsa moxque ipsa interit.
O umbra amata, mox tuum didici rogum;
Superstitem sed filium abdebant tui.
- Nunc, care Trabea, nunc mihi te dant Dii.
In te, quod ipsa seminece poscit manu,
In te parentem diligam fidus tuam.
Illam his in oculis, illam in his video genis, 380
- Et bis novenos viva post annos mihi
In te videtur atque ab Elycio redux.
Age! quid moraris? patris amplexum occupa!
- Trab. Repente natus videor; ac impos mei,
Novum parentem cupio timeoque alloqui.
Hoc vultu in uno bella quot video simul, 390
- Trebiae ruinas, busta Thrasymeni lacus,
Cannas et umbras mille conspicio ducum.
- Ann. Trabea, timesne bella, me genitus patre?
- Trab. Non tela vereor, altius vulnus latet.
Annibalis esse filium, summum est decus; 395
- Sed esse Romae filium, summus dolor.
Si specto matrem, Roma veneranda est parens;
Si specto patrem, Roma damnanda est mihi.
O dura fata, quem mihi dedistis patrem?
Ergone crimen imperat Trabeae polus? 400
- Nam crimen est amare, quos odit pater;
Et crimen est odisse, quam patriam voco.
Quocunque mentem flecto, delinquo impius.
- Ann. Imitare matrem: restitit amori diu
Flaminia, tandem cessit et Romam procul
Eiecit animo, digna tum nostra manu. 405
- Trab. O magne genitor, melius exemplum vocat.
Tibi abdicavit patriam mater suam,
Odiumque veteres expulit amores novum.
Omitto matrem; te, pater, potius sequor.
Carthaginem tu patriam constans amas: 410
- Me Romam amare patriam, o genitor, sine.
- Ann. O nate, nondum dignus amplexu patris,
Aetate peccas; Roma quae sit, te latet.
- Trab. Quantum universos Annibal vincit duces,
Romana tantum ceteras urbes praeit. 415
- Ann. Attende mecum, nate, quid Aristo ferat.

Scena septima

Annibal, Trabea, Aristo

Arist. Iam limen arcis Prusias nostrae attigit.
 Ann. Comitare, fili; sisto te regi ocyus.

Chorus I.

Pharnaces cum suis, *deinde* Mithridates, Princeps Tiridates, *tum* Bititius

Pharn. Ergone pater veniam dat proditori? 420
 Nec cogit impium Pharnacem mori?
 Evidem utemur hac venia:
 Vna mihi deest ad propositum taenia.
 Diadema si posuerit Mithridates,
 Tum demum meas merebitur grates. 425

Ode

I.

Et patrem et regem irrideo te!
 Pompeii tu victima iace,
 In probris senesce et tace.
 Me sola iam Roma invitat ad se;
 Hanc vince, si tuum me vis. 430
 Nec rex es nec pater, si victor non sis.
 Dum palmas amittis, irrideo te!

II.

Nec ducem nec iudicem audio te!
 Te nullus iam exterus pavet,
 Exercitus Pharnaci favet. 435
 Pompeius hortatur et recipit me;
 Infirma unius est vis.
 Vel alter in Romam si Annibal sis,
 Desertum a tuis non audio te!

III.

Parcentem, vocantem irrideo te! 440
 I, regna ruinis involve!
 I, odii poenas persolve!
 Dum perdit te odium, erudit me.
 In filio nulla est spes,
 Cum vitio patris eversae sunt res.
 Et patrem et regem irrideo te! 445

O invisum Mithridatis adventum!

Abit.

Mith. Agnoscit filius crimen cruentum:
 Abit, pudet Pharnacem.
 Bene est, patrem habebit facilem. 450
 Veneram solaturus,
 Ne iratus filio viderer aut durus.
 Tirid. Quam metuo, pater,
 Ne parum sincere resipuerit frater!
 Bitit. *prodiens*
 Heu, rex! heu sortem asperam!
 Heu fortunam Mithridatis miseram!
 Mith. Non est miser animus,
 Qui scit augeri tristibus.
 Quas affers Fortunae minas?
 Bitit. Ultimas, rex, tuarum rerum ruinas. 460

Ode minor

Heu animos serviles!
 Degenerem,
 Ingratum Pharnacem!
 Heu, rupit prodens fidem miles!
 Stant sociae 465
 In castris aquilae.
 Fugam, rex, heu; fugam cape!
 Summum illis scelus rape!

Mith. Scelus nato et rebellibus rapiam
 Nec tamen fugam capiam. 470

Ode

I.

Mithridates vixit satis,
 Sat est illustratus fatis,
 Tot regnorum dominus,
 Victor, victus, proditus.
 De me Roma triumphavit,
 Ante quam me superavit;
 Nunc triumphet ultimum,
 Servum habet filium.

475

II.

Per quos oras tot devici,
 Nunc me produnt inimici.
 Roma quem non perdidit,
 Is a suis pessumit.
 Roma, iam catenas necete,
 Illum Mithridatem plecte;
 Quem si vincum duxeris,
 Vere triumphaveris.

480

485

III.

At non duces, urbs superba!
 Frustra vincis, gens acerba!
 Mei, mei iuris sum,
 Nondum fero dominum!
 Odio antiquo plenum
 Me servabit hoc venenum:
 Fili, miles, popule,
 Nondum triumphastis me!

490

- | | | |
|--------|---|-----|
| Bitit. | Rex magne, quid paras? | 495 |
| Mith. | Magnam victimam ad maiorum aras. | |
| | Romam adorarunt reges ceteri, | |
| | Solus ego servire non didici. | |
| Tirid. | Pater, fuga te servituti eripiet. | |
| Mith. | Mors me omni periculo eximet. | 500 |
| | Vos ad Pharnacem confugite, | |
| | Me mihi relinquite. | |
| | Sic perit, qui Asiam et Europam appetiit. | |
| | Hunc finem pertinax odium invenit. | |

Actus secundus

Scena prima

Prusias, Annibal

| | | |
|-------|--|-----|
| Prus. | Adesto solus. Annibalis opus est fide. Quid Flamininus postulet, non te fugit. Docere te quidem ipse cupiebam prior, Sed occupavit Quintius et aures tuas Obsedit ultiro, forsitan et fecit suas. Illustre munus flectere Annibalem queat, Vt mitiora sentiens arma exuat. | 505 |
| Ann. | Illustre, fateor, laudat hoc munus pater; Sed nescit unquam amare donantem Annibal. Non Roma vincet: Annibal maior patre est. Solus ego dudum me tuo obsequio dedi; Geminare studium nunc licet iuncta fide, Eruntque praesto nunc tibi Annibales duo. | 510 |
| Prus. | Vtinam sit unus, Roma nec capiat virum! | |
| Ann. | Quid suspicaris, rex potens? sancta est fides. | |
| Prus. | Te Roma amicum censem et donis capit, Amat et amari digna, puto, visa est tibi. | 520 |
| Ann. | Captat maligna pectus hoc, at non capit. Non est amoris munus hoc, misit timor. Rex magne, disce callidum Romae genus; Expertus ego sum duplarem populum nimis. | 525 |
| | Dum bella magni nuper Antiochi iuvō, Ephesina in urbe fraude me captant pari. Legatus ad me Villius tendit frequens; Laudat, timores eximit, amicam fore | |
| | Et esse Romam callido spondet dolo. Consilia fraudulenta, rex magne, an vides? Dum Romam amicam Villii fingit dolus, Suspicio timidum pulsat Antiochum gravis, | 530 |
| | Labare nostra coepert nequa fides. | |
| Prus. | Vtine credam fraudibus Latios Patres? | 535 |
| Ann. | Aperta quondam pectora gerebant diu. At nunc reliquit degener proavum nepos, Candorque Roma pristinus dudum exulat. Sueti exprobrare Punicos nobis dolos, | |
| | Rabiem lupinam Romuli vulpe induunt. Suspectus illis Prusias atque Annibal: Me Prusiae ergo obiicere suspectum volunt. | 540 |

- Prus. Si perseveras candidus, frustra volunt.
 Ann. Odere Italici me Patres, Equites, Tribus;
 Execror Italicos ego Patres, Equites, Tribus. 545
 Proinde pacem si cupis, me hinc eiice.
 Si bella Romae fastui et sociis paras,
 Me statue curae principem, auctorem, ducem.
 Rex, ipse te frustraberis, nisi me vocas.
- Prus. Agnosco, amice, pectus odiorum ferax;
 Docuere quatuor lustra bello uni data
 Et busta quadringena versarum urbium,
 Quas unus Italo vicit ussisti solo. 550
 Docuere regis nuper Antiochi Lares,
 Qui te, Deorum munus ut lapsum polo,
 Cepere cupidi, bella dum Latio movent.
- Ann. Idemque, rex verende, testantur Dii
 Et patris umbra Amilcaris. manes sacri,
 Vos audiistis odia iurantem effera,
 Altaria Deum quando tangebam puer, 560
 Testatus, usque et usque me infestum fore.
 Cynosura vitae haec, hoc sacramentum fuit;
 Hoc, pace abacta, patria me odium extulit,
 Hoc terduodecim milito iam annos duce,
 Hoc me carentem patria rapit exulem. 565
 Si forte nostrae Prusias desit spei,
 Hoc auspice ibo, maria perquiram et solum,
 Vbicunque vires armaque et classes sciam,
 Hostem superbo quaerere Capitolio.
 Genus Quirini! qualis ad Tiberim fui, 570
 Talem Libyssi ripa praesentem video:
 Capitalis osor, nutrio antiquas faces.
 Civem vocabo, quisquis in Romam irruet.
- Prus. Placet ardor animi. commoda dextram, Annibal,
 Consilia iunge, vincere ardentem doce. 575
 Ann. Bithyniam num ducis Ausoniae parem?
- Ann. Bithynia potens sufficit pridem Eumeni;
 At sola Romae sentiet sese imparem.
 Ne sola sit, iungamus alienas plagas.
 Ad signa multi convolant prompti tua. 580
- Prus. Scio, quid potuerit ardor Annibal sagax,
 Qui bellicosas addidit gentes mihi
 Regesque iunxit exterios lingua potens.
- Ann. Iungamque plures. Asia Romanos pavet
 Oditque paene tota: non deerit manus
 Amica nobis, signa quae cupiat sequi. 585
- Prus. Sed ante cunctos Annibal caput est spei.
 Antiqua taceo. quid mihi attuleris, scio,

| | | |
|-------|--|-----|
| | Qui Pergamenos saepe consilio duces Terra marique fregeris victor sagax. Iuvisset eadem dextera Antiochum quoque, Livor superbus ni fefellisset virum; Sic quoque superior Annibal vicit Rhodum. At ille tua dum consilia stulte abnuit, Satiavit hostes praeda vel avarissimos. | 590 |
| | Decreta Romae bella sunt! perge, Annibal, Favere nobis; Quintius iam non movet. | |
| Ann. | Semper fidelem Prusiae addico manum. Ne suspiceris, stabit hic ara illico, Ad quam supremos rite testabor Deos, | 600 |
| | Praesente te, praesente Romano duce. | |
| Prus. | Arbitria semper pronus Annibal is sequar. <i>Accedere vult Trabea, sed rege conspecto redit, ad quem rex:</i> Accede, quid vereris? accede ad patrem Tantumque, Trabea, disce genitorem sequi. | |

Scena secunda

Annibal, Trabea

| | | |
|-------|--|-----|
| Trab. | Nondum osculari dexteram patris licet? Nova tibi soboles, flagrat impatiens morae. | 605 |
| Ann. | Romane civis, dexteræ tu isti osculum? Cruore nonne Oenotrio plenam vides? | |
| Trab. | Genitor, amavi patriam, altricem piam, Terrarum amavi principem, matrem ducum, | 610 |
| | Ignarus alti generis et tanti patris. | |
| Ann. | Amasse dicis? pergitto, iam non amas? | |
| Trab. | Si simul amare Romam et Annibalem queo, Amare pergam patriam, sed post patrem. | |
| Ann. | Si simul amare Romam et Annibalem nequis, | 615 |
| | Faciesne, quod Flaminia tua fecit parens? Vt nostro amore digna porrigeret manum, | |
| | Oblita gentis et Quirinalis probri est. Hunc, nate, digitus quem gerit, specta annulum: | |
| | Hic opima caesi praeda Flaminii fuit; | 620 |
| | Hanc servo stabilem gloriam et virus latens, | |
| | Quod Flamininus indidit casum timens, | |
| | Casus in omnes ego quoque remedium fero. | |

| | | |
|-------|--|-----|
| | Hunc annulum Flaminia cernebat palam, Non respuens hoc annulo ornatam manum. Qui victus est amore, nil aliud videt. | 625 |
| Trab. | Id sentio ipse: victus ego tanti et viri Et patris amore, video praeterea nihil; Amare Romam desino, amplectens patrem. | |
| Ann. | Sic, nate, sic iam patris amplexum pete, Haeres paternae gloriae ac odii mei! | 630 |
| Trab. | Sed Flaminino quid, pater, dici iubes? | |
| Ann. | Imitare dicta Quintii: vultu bono Simulat amicum, caeca mens odium tegit. Sic vivere docet Roma, virtutum artifex. | 635 |
| | Hanc sequere, fili: verba da fraudum fabro Hostemque patris callidus lude et late. | |
| Trab. | Quid audio, pater? Quintius an hostis tibi? Qui laudibus te cumulat et prensans colit? | |
| Ann. | O anime simplex! Roma quam nota est parum! Nempe ut coronis victimam ornamus neci, Sic ille laudat, cadere quem stratum cupid. At prensat ille? timeo, ne prenset nimis. | 640 |
| Trab. | Si te Senatus odit et virus tegit, Cur tibi benignus filium reddi iubet? | 645 |
| Ann. | Facit, quod olim docuit exemplo Annibal. Etsi arva late cuncta populabar ferox, Fabio pepercit Maximo: intactos agros Custode cinxi milite, avertens malum, Suspecta Romae ut fieret insontis fides. | 650 |
| | His nunc vicissim me petit Roma artibus. Blanditur atque donat, ut maculet fidem. Vah! et magister gentis exosae fui. | |
| Trab. | Sed Flamininus nil nisi hic pacem petit. | |
| Ann. | Et eius obicem maximum me scit satis. Vel ergo de me, Roma quem solum timet, Arcana Patrum iussa legatus tenet Vel absque iussis ipse nos ultro premet, Incensus ira pristina et patris nece | 655 |
| | Leisque volitans gloria, nomen sibi Perenne quaeret, Annibale demum obruto. | |
| Trab. | Orator autem Punicus quidnam movet? | |
| | Favetne, genitor, an tibi insidias struit? | |
| Ann. | Vt fert Aristo, Quintium solum petit. Mandata patriae quae ferat, penitus latet. | 660 |
| | At mihi suboritur nescio quae lux spei. Oraculum audi, nate, quod pridem polus Mihi sciscitanti reddidit fatum docens. Futura namque cum poposcissem Deos, | |

| | | |
|-------|---|-----|
| | Mihi sacerdos, caelitum afflatu tumens, Haec verba fundit pectore accenso edita: ‘Libyssa tellus corpus Annibalis teget.’ | 670 |
| Trab. | Oracula laeta! patriam tandem redux Rursum videbit Annibal et annos senex Terrae in Libyssae littore supremos aget. Dilecte genitor, patria, quid, si te vocet Haecque ipsa nobis causa Gisgonem afferat? | 675 |
| Ann. | Fortasse nostra exilia satiarunt Deos, Fortasse noxam patria agnoscit suam, Fortasse honori consulit tandem suo, Fortasse, quem perdiderit, et civem et ducem, Carendo didicit sponteque invitat domum. | 680 |
| Trab. | O laeta spes, o tempus optandum mihi! Hic ipse patri reddidit Trabeam dies, Qui gratulanti patriae reddet patrem. | 685 |
| Ann. | Si numina datam liberant hodie fidem, Gemma notandus est mihi praesens dies. Promissa quod si differunt lenti Dii, Tamen aliquando patriam cerno redux. | |

Scena tertia

Annibal, Trabea, Quintius

| | | |
|--------|--|-----|
| Quint. | Gaudet parente natus, et nato pater, Certumque certae gaudium efficiunt notae. | 690 |
| Ann. | Agnosco, Flaminine, quem Roma obtulit: Est natus estque dignus et similis patri. | |
| Quint. | Amor utriusque me iubet utrumque alloqui, Ne vestra turbet gaudia procella imminens. | 695 |
| Ann. | Vnde haec procella? | |
| Quint. | turbanem Gisgo excitat. Praefatus ille foedera Quiritum et sua, Carthaginis Romaeque mihi iussa indicat, Quibus imperatur, Trabea ne videat patrem, Carthaginis sed littus et muros petat. | 700 |
| Ann. | Hoc Gisgo poscit? Roma Poenusque hoc iubet? | |
| Quint. | Vidi ipse utrasque literas, laetus tamen, Quod praevenire contigit tantum malum; Nec praemonere distuli sortis minas. | |

- Trab. O spes inanes, o fides fallax poli!
Qua luce primum intueor, amitto patrem. 705
- Ann. Quid, nate, quereris? Quintio grates age.
En, quanta nostri cura stimulavit virum!
Romane, solers Annibal non fallitur.
Sat nos Aristo docuit, o fraudum artifex. 710
Gisgonem adesse nunciat Aristo tibi,
Mox tu vocatum filium tradis mihi,
‘Ne Gisgo veniens impigre utrumque occupet.’
Condicta vobis omnia et iuncti doli.
Iam, Flaminine, iam tibi credo favens, 715
‘Me Romae amari publice et amicum coli’,
Dum me meumque filium prodit simul
Illumque mihi dat et rapit eodem die.
Carthaginem latebat arcanum hoc meum,
Nisi vestra patriam Roma docuisset meam 720
Pridemque misso nuncio ad Libyae sinus
Quaesisset hostes, filio et patri, novos;
Dextra mihi dedit filium, laeva eripit.
- Quint. Amor parentem turbat et praeceps dolor:
Ignosco utrique. tu patrem placa, nepos. 725
- Ann. Discede, fili: raptor, en, Gisgo imminet.
- Trab. Causam tuere filii prima hac die.

Scena quarta

Annibal, Gisgo cum Asseclis, Aristo

- Gisg. Salvere per me patria Annibalem iubet
Et gratulatur filium patri novum.
Annus reducit tempus augusti sacri, 730
Quo victimam Diis patriis urna expedit.
Cum ducta sors est proxima in mensem alterum,
Trabeam vocarunt filium Annibalis Dii.
Hanc ergo per me victimam poscunt Patres,
Dum publica urbis cogit invitatos salus. 735
- Ann. Ego gratulantem patriam et sacrum et Deos
Admiror aequem; nam nec appetet satis,
Immania bonis sacra cur placeant Diis,
Nec, gratulari quo mihi pacto queat
Longinqua patria filium, acceptum hac die. 740
- Gisg. Audita res Carthagine est menses duos.

- Ann. O Roma! fallax Roma! crudelem dolum!
Hosti ante prodis filium, quam das mihi?
- Gisg. Patrium Senatum civis anne hostem vocat?
- Ann. Veneror Senatum, patriam fidus colo
Et minus amantem plus tamen luce hac amo.
Sed hostis Hanno est: illius fraudes latent.
- Gisg. En literarum publicam et certam fidem.
- Ann. Video sigillum, publicas video notas;
Sed Hanno fraude subdola induxit Patres.
- Gisg. Hannonis odia non tibi tantum nocent,
Quantum ipse durus tibi tuis odiis noces.
Amare Romam disce nec quidquam lues.
Illiud odium patria extorrem facit;
Nec illa natum proderet nobis tuum,
- Si pertinaces spiritus tu frangeres.
- Ann. Amare Romam? patriae nostrae aemulam?
Iurata postquam tamdiu bella intuli?
Gentem superbam et improbam amplecti iubes?
Quae facere cuncta tendit arbitrii sui?
- Quae bella, pacem, foedera, tributa imperat?
Quae limites dat gentibus sola omnibus
Nullusque servat? quae nihil tutum sinit,
Nisi quod feroci vindices dextra tibi?
Cui orbis est angustus et pelagus breve?
- Vos iuro, Cannae, vulnus Ausoniae ultimum!
Teque Zama iuro patriae tumulum meae!
Non finiam iras ante nec pacem colam,
Quam Roma vel Carthago sit nudum solum
Superstitemque pulverem spargant Noti.
- Gisg. Cum patria iubet, cladibus Romam obrue;
Tum maria sulca, trans Pyrenaeos feri,
Alpes aceto rumpe, Bellonae faces
Iacta per omnes insulas, terras, freta.
Cum patria iubet, publico servi otio,
Pacem iubenti civis ausulta bonus.
- Cum patria enses imperat, scelus est quies;
Cum patria pacem praecipit, bellum est scelus.
Gloriola fallit, fallit aemulatio;
Non fallitur, qui patriae morem gerit.
- Ann. Patrisne causa an filii huc missus venis?
- Gisg. Suadere fas est alteri, posco alterum.
- Ann. Fecisti utrumque libere; neutrum audio.
Carthago iubeat, obsequar iussis ego;
In filium nil iuris est. nostros lares
- Non vidit unquam, natus alieno in solo.
Meus est suusque nec forum Tyrium pavet.

- Gisg. Tuus est: venire filium genitor iube.
 Ann. Si victimas eligere Sidoniis placet,
 Non ego morabor; eligant sane domi,
 Non exteris, non Italas, non liberas.
 Tuum est referre dicta, responsum dedi.
 Gisg. Fortassis aliud mollius reddes dein.
- 790

Scena quinta

Annibal, Aristo

- Arist. Heu, quae pericla filium et patrem manent!
 Romanus isti, Sidonius illi imminet.
 Ann. Vtrique, dic, Romanus; hic auctor mali.
 Nati periculum me movet plusquam meum;
 Excelsus animus carior vita mihi est,
 Vivent in illo post patrem curae patris.
- Arist. O ut astra adulto destinent Cannas novas!
 Ann. Heu, fata iuvenis! esse vix coepit meus,
 Cum sentit eadem damna premiturque innocens.
 Sed impedita multa consilium expedit.
 In rege spes est. quo mage huic animum probem,
 Fac, ara surgat, sacra Didoni meae
 Beloque generis principi et, Iuno, tibi:
 Carthaginis spes maxima, o Iuno, fave,
 Troiae reliquias ut tuo exemplo premam!
- 795
- 800
- 805

Actus tertius

Scena prima

Prusias, Annibal

- | | | |
|-------|---|-----|
| Prus. | Consilia laudo, laudo prudentem fidem. | |
| Ann. | Nisi Nicomedes Eumeni eripitur brevi, Secura non est principis tanti salus. A Flaminino ducitur rex, quo placet; Senatus illi maior est Diis et Iove. Si Nicomedem iubeat is mitti sibi, Romana vincla non reversurum prement. | 810 |
| Prus. | Ergo, ut monebas, rectius fiet nihil, Quam si recipiam filium obsidibus datis. | |
| Ann. | Sitiens honoris Eumenes ultro annuet. | |
| Prus. | Quem vero procerum tam mihi fidum autumas, Vt liberos periculo pro me offerat? | |
| Ann. | Rex, optimates extero non sat patent. At si mea fides, si tibi studium placet, Est mihi repertus natus hac ipsa die: Is Nicomedem servet hac ipsa die. | |
| Prus. | Vix bene receptum filium et sero datum, Motus aliena sobole, dimittet parens? Alienus, hospes, natus Annibal, volet Discrimini se obiicere, vix visus mihi? | |
| Ann. | Sibi gratulatur Annibal tantum decus, Et gratulans id natus excipiet meus, Praeferre solum quem tot indigenis voles. | 820 |
| Prus. | Sed Nicomedi quae minabaris modo, Romana vincla non magis nato times? | |
| Ann. | Non timeo: captum quidlibet victor iubet, At liber obses Trabea nil metuit grave. Novi Quirites: gloriae laudem ambiunt Nec iura sacra gentium laedi sinant. | |
| Prus. | Concedis igitur obsidem carum, Annibal? | |
| Ann. | Dixi, beari censeo nati caput. | |
| Prus. | O fide nimium Prusiae, o care Annibal! Accede, amicum pectus amplectar, sine! Sed filium non adimit heroi polus. En literas, quas Eumenes ad me novas! | |
| | His Nicomedem liberum et nostrum iubet Redire sponte, nulla lex porro additur; | |
| | Cras Nicomedem in finibus nostris fore. | 830 |
| | | 835 |
| | | 840 |
| | | 845 |

- | | | |
|-------|--|-----|
| Ann. | O spe superior comitas! maior fide! | |
| Prus. | Romana se consilia commemorat sequi Et Scipionis more sese uti monet Animumque paci deditum oblique docet. | 850 |
| Ann. | Rex magne, quam me recreat princeps redux, Tam timeo, ne quis lateat in dono dolus. Expertus, etiam dona Dardanidum horreo. Consilia sunt Romana: quid statuas, vide. Mihi quoque reddunt filium et produnt simul Ac innocentem perfidi tradunt neci. | 855 |
| Prus. | Horresco, amice! quis necem Trabeae struit? | |
| Ann. | Interroga, rex, Quintium; en, praesens subit. | |

Scena secunda

Prusias, Quintius

- | | | |
|--------|---|-----|
| Quint. | Rex, gratulatum venio, dum natus redux Bithyniam solatio et patrem replet. Iussu Senatus Eumeni hoc auctor fui, Generosus esse ut Prusiae vellet bono. Iussu Senatus, rex, et a te nunc peto, Generosus esse ut audeas Romae bono. | 860 |
| Prus. | Quid Roma poscit? | |
| Quint. | ne velis hostem suum In regno habere et regia adque ipsum latus. Fax iurgiorum, litis aeternae sator, Tecum moratur Annibal, Romam premens. Hunc curia virum nostra sibi dedi petit. | 865 |
| Prus. | Hoc vestra poscit curia? et honorat virum Colitque donis, filium sponte offerens? | 870 |
| Quint. | Superare dono hoc Roma sperabat virum. Hunc experiri iussus extreum arietem, Cum perseveret usque minitari ferox, Suprema Patrum iussa iam cogor sequi Petoque rursum noxiun dedi caput. | 875 |
| Prus. | Quo iure vester munus hoc populus cupit? | |
| Quint. | Tyriis petitam Roma cum pacem daret, Haec scripta lex est, bella ne fas sit geri Quacunque posthac parte terrarum aut freti, Nisi urbs Quiritum conscientia id fieri probet. Pacta haec per omnes Annibal violat plagas: | 880 |

| | | |
|--------|---|-----|
| | Illius opera Graeciam trans et mare In nos Philippi densa surrexit phalanx. | |
| | Illius opera exarsit Antiochus potens Et arma cepit, nactus Annibalem ducem. | 885 |
| | Illius opera tu quoque in bellum ruis, Nunquam hostis ante, foederum vinclo Eumeni Coniunctus olim, rupta quae Poenus cupid. | |
| | Vir eloquens et laureis pridem gravis Totoque Marte plenus, armatus dolis, Quaecunque regna noxio tetigit pede, Sequuntur arma, miles accensus fremit, Haustus medullis Annibal stimulat viros. | 890 |
| | Vbique sanctam foederum scindit fidem, Turbator orbis nec quieturum caput, Nisi cuncta miscens mole bellorum implicit. | 895 |
| Prus. | O Flaminine! Prusiam quid tu petis? O sancte Mavors! sic tuum Annibalem premis. Tua Roma vinclis dexteram stringi cupid, | |
| | Romae tremendam dexteram, fulmen tuum, Quae stagna et amnes, littora et campi aequora Toties cruore nobili implevit ducum! | 900 |
| | Hanc hostibus nunc Prusias dedet manum? | |
| Quint. | Quantum petamus te virum, non me fugit. Confiteor ultiro, non Alexandro minor Magnus videtur Annibal; verum hoc magis Est submovendus, quo potest metui magis. | 905 |
| Prus. | Si Roma votis Prusiae flecti potest, Si precibus ullis, rex, precor teque obsecro, Concede, quem deposcis, et dona mihi. | |
| | O hospitalis Iupiter! vosque, o Dii, Quos populus omnis Romaque in primis colit! Praesentibus, videntibus vobis ego | 910 |
| | Prodam scelestus hospitem spreta fide? | |
| | Hac dextera, quae pignus hospitii fuit, Hac dextera nunc hostibus tradam impius, Quem modo fovebam pectori appressum meo? | |
| | Quae probra de me fama, quae de te canet, O Flaminine, deque Romano ambitu? | 915 |
| Quint. | Nullam mereri perfidum dicet fidem. Qui iura violat, iura non speret sua. Fatale caput et proditae pacis reum, Praeterita damnant et futurorum timor. | 920 |
| Prus. | Quis te lacescit tempore alieno timor? Quid possit in vos exul, incerti laris, Privatus, expes, pauper, invisus suis? Crudelitatem Quintii et Romae et meam | 925 |

| | | |
|--------|---|-----|
| | Seri nepotes arguent, magno duci Si nunc nocemus, ille cum iam non nocet. | 930 |
| Quint. | Exspes egensque exulque, consilio nocet; Dum vivit ignis, quaerit alimenta et rogos. | |
| Prus. | Deliberanti perbrevem mihi da moram, An laedere urbem, prodere an malim hospitem. | |

Scena tertia

Annibal, Trabea, Aristo

| | | |
|--------|--|-----|
| Trab. | Pater, recedit Prusias, frustra adsumus. | 935 |
| Ann. | Heu, nate! amice! verba quid regis petunt? Cum Flaminino solus! et trepidus fugit! Vultuque dubio turbidus secum expedit, ‘An laedere urbem praestet, an prodi hospitem?’ | |
| Arist. | Quid quaeris, heros? filium Tyriis dedit; Te saeva Roma flagitat donum sibi. | 940 |
| Trab. | Verende genitor, hospitem me sors petit. | |
| Arist. | Carthago te, mi Trabea, non Roma evocat. At Flamininus hospitem petit alterum: Is si negetur, laeditur Romae furor. | 945 |
| | O vere vates Annibal, ‘Roma imminet!’ | |
| Ann. | O urbs cruenta, dira, inexpugnabilis! Tam tibi propinquus, moenia attingens manu, Heu, cur pepercit improvidus? cur distuli? Cur me una tenuit, una post Cannas dies? | 950 |
| | Qui viceram, victoria uti nescii! Non omnia uni nempe donastis, Dii. O si irruisse! moenia aequasse solo! O si ense cives, tecta delessem rogo | |
| | Et, quos rogarent, non reliqusem Deos! | 955 |
| | Fortuna toties o meis coeptis favens, Cur eruendae - ah! -, cur mihi Romae improbae Nunc dura mentem, nunc potestatem negas? | |
| Trab. | Trepido periclo patris, heu, plusquam meo! Tantumne captus Prusias crimen paret? | 960 |
| Ann. | Mi nate, regum saepe cognovi fidem, Quam vertit aura, quaelibet et aufert dies. Mollis levisque Prusias semper tremit; Nunc domina terret Roma, nunc laurus placet. | |

Nunc, Nicomedes reddito, agnosco satis,
Quid Roma captet quaeque sint rerum vices.

965

Scena quarta

Prusias, Annibal, Trabea, Aristo

- Prus. Quid Roma quaerat quaeque sint rerum vices,
Docebo Trabeam. Quintum siste, Annibal:
Deliberatum quid mihi sit, ambo audiant.
Meos, Aristo, quotquot huc duxi, voca.
- Ann. Adduco, rex, quem praecipis, cladem intuens.
Memento, nate, patris exemplum sequi!

970

Scena quinta

Prusias, Trabea

- Prus. Nostine, Trabea, quae mihi de te Annibal
Promissa magna, mira, metuenda annuit?
- Trab. Rex magne, novi: regium affatum ambii,
Amore Nicomedis et regis flagrans.
Pro principe meum sponte devoveo caput.
- Prus. Vacat periclo filii nostri caput.
- Trab. Scio; sed revincto grata libertas deest,
Monuitque genitor, non sibi probari moras.
- 975
- Hoc Trabea poscit, regium ut natum iuvet;
Da munus hoc meque Eumeni mitte obsidem.
Gratum est levare filium tanti patris,
Qui tam benignus sublevat patrem meum.
- Prus. Mi Trabea, non me filii terret salus;
Cari pericla proxima Annibalis movent.
- 980
- Generose iuvenis, poscitur Romam Annibal;
Dic, utra potius sors tibi, fili, placet,
Pro Nicomedes ut obsidem dedam Eumeni
An pro parente destinem Romae foro?
- Trab. Heu, optio! rex! Annibal pro me eligat:
Me iudicare terror et luctus vetant.
- 985
- 990

| | | |
|-------|---|------|
| | O Roma! eodem, quo patri me das, die, Mihi parentem tollis? et per avunculum? Rex magne, quid Bithyniam Ausonii iubent? | 995 |
| Prus. | Non Roma iussit, petiit; at petiit minax. Audetne mitti Trabea genitoris loco? Nam Nicomedes salvus est et cras meus. | |
| Trab. | Si Nicomedes tutus est, mitte, obsecro, Me mitte Romam! spiritum impendam patri! | 1000 |

Scena sexta

Prusias, Annibal, Quintius, Trabea, Aristo, Asseclae regii

| | | |
|--------|---|------|
| Ann. | Nunc tota gens Bithynica orbisque audiat, Quam Roma, in omnes candida, Annibalem suum Amore foveat publico et amicum colat. | |
| Prus. | Deliberatum est. quod petit Roma, obtinet, Nisi Flamininus obsidem patris loco Trabeam revehere malit ardenter sequi. | 1005 |
| Trab. | Pro patre vincla provoco, exilium, necem! | |
| Quint. | Si Trabea nobis esse potuisset satis, Noster erat olim; solus est votum pater. | 1010 |
| Prus. | Meretur odia Martiae Romae Annibal, Qui tanta vobis damna cladesque intulit. Ille unus amplas edomuit Hispanias. Gentes in omnes ex Saguntino rogo Disiecit ille flebilis belli faces. | 1015 |
| | Quacunque signa movit, infesta intulit, Nec ulla gens omissa nisi victa et pavens. Si consulares Roma, praetores, duces, Si consules conscriperit, quotquot fuga Aut nece notavit Poenus, annales leget | |
| | Et seculorum gesta credet, non viri. Inauspicate Rhodane, Clastidium iacens, Venusia, Thrasymene, Trebia, Herdonia Vosque Alliensi infamiae Cannae pares, Vos ultionem poscitis et iras graves. | 1020 |
| Quint. | Non ista querimur; poscere Annibalem iubent Recisa pacis sanctitas, leges, Dii. Quae tu disertus damna retulisti et probra, Satis ulta Roma est. Nola, Beneventum, Croton | 1025 |

| | | |
|--------|---|------|
| | Hispaniaeque et regna Trinacriae sciunt. | 1030 |
| | Cannis Metaurus par fuit, maior Zama. | |
| Prus. | Quaecunque stimulat causa vos, ego obsequor. | |
| | Cum Flaminino naviget Romam Annibal. | |
| Trab. | Rex! genitor! | |
| Prus. | actum est: naviget, dixi, Annibal. | |
| Ann. | Rex magne! gravius tota nil vita obtulit, | 1035 |
| | Vexata quamquam gravibus ac multis malis; | |
| | Sed te coactum video nec quidquam queror. | |
| | Quae plurima tibi debo, gratus palam | |
| | Agnosco, fateor, praedico; et grates tibi, | |
| | Munifice semper hospes, exsolvo memor. | 1040 |
| | Tu regio me pauperem tecto excipis, | |
| | Arcana pandis exuli et totum sinum, | |
| | Aequas proceribus advenam, cumulas bonis, | |
| | Me copiarum praeficis parti optimae, | |
| | Haec ipsa donas moenia et latos agros, | 1045 |
| | Quodque antepono ceteris donis, amas. | |
| | Hoc ultimum, rex, usque mihi serves, precor, | |
| | Amesque porro; reliqua restituo omnia: | |
| | Haec tecta et arcem reddo ponoque inclytum | |
| | Ducis supremi munus et iura addita. | 1050 |
| | Commendo tantum filium, orbandum patre, | |
| | Quem vix adeptus vidit, ut fleret diu. | |
| Trab. | Eheu! | |
| Prus. | timere parcite: ero Trabeae pater. | |
| | Sed reddere arcem, ponere aut nomen ducis | |
| | Cur properat heros Annibal? non id sinam. | 1055 |
| | Nil detraho; addo quin tibi nomen novum. | |
| | Consulta nostra, ut video, vos omnes latent. | |
| | Vt vult Senatus, naviget Romam Annibal; | |
| | Sed nulla tanto vincula parentur viro: | |
| | Non deditus, non captus aut abeat reus. | 1060 |
| | Legatus esto noster ad Latios Patres. | |
| | Sic, Flaminine, rite deduces virum; | |
| | Sic videat urbem maximam, haud illa minor. | |
| Ann. | Favore, rex, nil tale sperantem obruis. | |
| Quint. | Quam gratus urbi veniat orator, patet. | 1065 |
| Prus. | Caput expetitum mitto, quo possum modo. | |
| | Nam dedere nefas, hospitem, insontem, probum. | |
| | Quid laesa memoras foedera? an pacem Annibal | |
| | Composuit unquam? patria eiectus sua | |
| | Erravit ante, Roma quam pacem daret. | 1070 |
| | Carthago iunxit foedera; et fida impleat. | |
| | Nil iuris est in exulem: civis domi | |
| | Ni pacta servet, criminis poenas luat. | |

- Ann. Me Flamininus gaudio cumulat novo:
Romae timetur Annibal; fruor hoc metu.
- Quint. Fortassis alio nos quoque fruemur metu.
- Trab. O regis amor! o hilaris ex moesto dies!
- Ann. O Trabea! Iuno fata convertit potens.

1075

Actus quartus

Scena prima

Prusias, Annibal

- Ann. Nil fingo, rex: timore percensus gravi
Iustoque, supplex deprecor munus novum. 1080
- Prus. Non iure sancto gentium es tutus satis?
Violare iusta Roma legatum audeat?
- Ann. Quae iura laedens gentium, petit hospitem,
Cur timeat eadem iura, legatum opprimens?
Temerata si me foedera accusant reum,
An esse Romae desinam tandem reus? 1085
Tituline deerunt, quos coloratos habent,
Quidquid ubicunque placuit, in promptu Patres?
Tanto petitum tempore et per tot dolos,
Cum iam tenebunt traditam caveae feram,
- Prus. Non diffitebor nec tuos carpam metus.
Periculosa munus est plenum aleae.
Praesente me si Quintius iactat minas,
Trans vasta marium spatia quid fiet domi? 1090
Adhuc cicatrix cruda plagarum admonet,
Et annulorum perdit modii dolent.
Remitto munus arduum, care Annibal.
- Ann. Consilia sed quae capere me par est nova? 1100
Odisse Romam si queas hostis, sat est.
- Prus. Sed arma si Romanus adversa inferat?
- Ann. Quid aliud opto? valida tibi manus est domi;
Socii potentes, si vocas, prompti annuunt.
- Prus. Tam varia membra, dissona et discors manus,
Quos exitus certaminum spondent mihi? 1105
Ann. Quos exitus Mars Punicus mihi reddidit:
Duxi feroce Libyas et Poenum trucem,
Celtas, Iberos, Italos, Graecos leves.
Sed unus omnes spiritus in hostem tulit;
- Prus. Fateor timorem: dux placet belli Annibal,
Romanus hostis displicet et animum movet. 1110
Ann. Rex magne, nutas.

| | | |
|-------|---|------|
| Prus. | inter utrumque haereo. | 1115 |
| | Tu Flamininum dedoce et causas refer, Quae terram adire Romulam te non sinunt. | |
| Ann. | Referam diserte. tu cave, fidas, precor: Fallace vultu orator insidias tegit. | |

Scena secunda

Prusias, Gisgo

| | | |
|-------|--|------|
| Gisg. | Imploro magni regis auxilium potens, Ne sors reverti hinc irritum cogat domum. Carthago mitti filium Annibal is iubet; Contemnit ille patriae legem ferox. Averte, regum aequissime, hoc tantum probrum, Ne fama vulget, imparem Carthaginem Cessisse civi spretam et illusam suo. | 1120 |
| Prus. | Adesse si Carthagini iustus queam, Non deero unquam; verum inauditus nequit Crescenti ad alta sobole privari Annibal. Satis superque Roma miserandum premit; | 1125 |
| | Num patria etiam iunget infensas minas? | |
| Gisg. | Medela facilis obstruet fontem mali: Odisse Romam desinat, paci obsequens. | |
| Prus. | Ideone vestris meritus est odiis peti, Tutela quondam patriae et summum decus? | 1135 |
| Gisg. | Fontem malorum dic et aerumnae caput, Cuius temeritas sola nos cladi obtulit Damnisque mersit per Saguntinum scelus. Incendii auctor unus, iniussu Patrum, | |
| | Perdidit Italiam, perdidit nostrum genus. | |
| Prus. | Sic civitatis principem laudas tuae? Ingrate popule, bella iussisti geri; Tot lustra pugnans paene fregisti ducem, | 1140 |
| | Consilia, pugnas, foedera probasti omnia, Lauros tulisti mille, maiores fide; | |
| | Nunc praemium rependitur dignum viro, Maledicta, probra, exilia demumque orbitas. | |
| | Exilia vester mutat exiliis parens, Dumque exterorum regna fugientem ambiant | |
| | Laresque pandunt et sinum vestro duci, Vos odia nondum vetera satiastis truces. | 1150 |

Scena tertia

Prusias, Gisgo, Annibal

- Ann. Audivit acta Quintius.
 Prus. plura audiet.
 Minus Quirites damno quam cives tuos,
 Qui tanta meritum praemia eiiciunt solo
 Teque cumulare clade non cessant nova. 1155
- Ann. Seu immerentem patria seu damnat reum,
 Non damno patriam, non meos cives ego.
 Me coluit illa laurea et praeda inclytum;
 Nunc odit eadem, debitum fato exulem.
 Ego parentem nunc quoque fidelis colo
 Amoque natus integer. quamvis egens
 Exulque cunctas erro circumiens plagas,
 Tamen una pectus cura sollicitat meum,
 Totum ut per orbem vindices quaeram manus,
 Quae patriae hostes Italos poena obruant. 1165
- Prus. O magna virtus! summa o herois fides!
 Ann. Quae damna patior, sentio; at pridem fero.
 Carthago quae fert damna, me semper movent;
 Huius misereor! huius illacrymor malis!
 Regina servit fastui Quiritium! 1170
- Prus. Dominam potentem gentibus dederunt Dii.
 Excutere o utinam Romulum liceat iugum!
 Carthaginem non negligo, Gisgo, tuam;
 Nunc Flamininum petere res praesens iubet.

Scena quarta

Annibal, Trabea

- Ann. Tandem revisit filius amatus patrem. 1175
 Trab. O care genitor, quo loco res sunt tuae?
 Nam scire nolo, quo loco res sint meae.
 Ann. Tu vive, fili; vive: nam genitor perit.
 Trab. Avertat almus Iupiter!
 Ann. venit dies.
 Mitte hunc dolorem! si pereo digne, sat est. 1180

- Nunc Flamininum Prusias timidus petit,
 Blandisque verbis captus et fractus minis,
 Paci Quiritum donat Annibalis caput.
 Novi trementem Prusiam, instabilem scio.
 Sed si perire sors iubet, fatum sequor. 1185
 Recte perit, mi nate, qui digne perit.
 Tu quoque memento, si vocat fatum asperum,
 Praeferre vitae ignobili insignem necem.
- Trab. Memor parentis usque, virtutis memor,
 Erectus atque liber aut vivam aut cadam. 1190
 Sed, care genitor, quid tibi superest spei?
- Ann. Mi nate, spera! fata prospexi omnia:
 Periclitanti tabula mihi nondum deest.
 Tu, Trabea, quisquis casus impendet dehinc,
 Hanc respice aram et nostra per vestigia 1195
 Patrios in ausus surge! quod Amilcar mihi,
 Id ipsum ego hodie tibi sacramentum impero.
 Odium perenne et arma tueatur nepos;
 Sive arma deerunt, exul ac opibus carens
 Bellabis animo, semper exosus Tibrim. 1200
- Trab. Vtinam coire pacta vos inter queant!
 Vtinam Quirites teque complecti simul
 Liceat gementi filio! at iam non licet.
 Odium meretur illa, quae patriam patris
 Evertit una teque latitantem procul 1205
 In angulo orbis degere quietum haud sinit.
 Parens amate, filium quae nunc movent,
 Olim movebunt posteros; illi arbitri
 Tibi ingemiscent, tanta qui tantus feras.
- Ann. Me semper odit Roma, par referto pari. 1210
 Certantium ira viribus maior fuit.
 Quoties poposcit illa sibi dedi hoc caput!
 Nunc me Sagunto, nunc semel et iterum domi,
 Nunc a Syriaco rege et a Bithynio,
 Vbicunque dego, me sibi tradi iubent. 1215
 Pax patriae est concessa, mihi bellum manet,
 Immane, dirum, aeternum, inexpiable.
- Trab. Sed Roma quam te nunc metuit, olim colet
 Et poenitebit patriam electi ducis;
 Vtrimque cernet posteri effigiem tui. 1220
- Ann. Vt fama seris laudibus utrumque augeat,
 Age, sequere patrem; iureiurando fidem
 Maioribus, mihi atque Iunoni obliga.
 Aeterna promitte odia, terraque et mari;
 Dum vita stabit, arma in Ausoniam move. 1225

- Promissa patri fidus implevi meo,
 Tu paria sponde parque promissa effice.
 Trab. O alma Iuno, summa Troiugenum aemula!
 Bele atque Elisa, generis auctores mei!
 Tu, sancte genitor, digne Semideum choro!
 Audite, quae promitto iuroque Trabea!
 Hic ensis haecque dextera et mens haec mea
 Omnisque vita pugnet in Romam impiam.
 Devoveo caput hoc; quodlibet letum prius
 Alacer subibo, laesa quam titubet fides.
- 1230
- Ann. Sic mihi probaris, nate, si vitam prius
 Quam iusta ponas odia Latialis soli.
- 1235

Scena quinta

Annibal, Trabea, Aristo

- Arist. Cohors parata nutui, laudat dolum.
 Tuo periclo fida succurret manus,
 Ardens vibrare tela pro caro duce.
 Trab. Quid machinaris, genitor?
- 1240
- Ann. ausculta omnia.
- Arist. Romana cuncti pila, Romanas gerunt
 Galeas et enses, ut tua voluntas tulit.
 Ad limen arcis agmen expectat silens.
 Romana quivis arma tam scite gerit,
 Vt fallere ipsum Quintium posset dolus.
- 1245
- Trab. Tuam cohortem veste Romana tegis?
 Ann. Sic incitare Prusiam in Romam iuvat.
- Arist. Sors fausta nuper arma Romana obtulit,
 Superatus acie cum dedit terga Eumenes
 Et cecidit Itala, fugere dum spernit, cohors.
- 1250
- Ann. En, ipsa prodest Roma, dum spoliis iuvat.
- Arist. Sed omnis est cavenda consiliis mora:
 Currus paratur regius ad arcis fores
 Moxque redditurum Prusiam ostendit satis.
- 1255
- Ann. Quid ais? recedit? insalutato hospite?
 Amice, nunc me proditum eventus docet.
 Nutabat ante Prusias; Titus impulit.
 Intelligo, quid Prusiae haec moneat fuga.
 Properandum, amice. militem copta exequi,
- 1260
- Sed Flaminino parcere et regi iube.

- Arist. Monui, caveret quisque; simulabunt probe
Fictaque pugna Prusiae incutient metum.
- Ann. Imo ipsus adeo militem et regem iuvo:
Hac arte fallam melius incautum et levem. 1265
Tu vero, Aristo, filium deduc comes
Et ad Libyssum semita arcana praei.
Si tuta pateant omnia, ad flumen fugam
Capesse, fili; monitus ab amico sequar.
Si se periculum offerat, in arcem redi.
Cessisse decus est tempori et sorti malae. 1270
- Trab. Parebo, cedam; fata si iubeant, cadam.

Chorus II.

Pharnaces cum suis, Tiridates, *deinde* Bititius, *tum* Mithridates

- Tirid. Nec ingemiscis, frater,
Dum perit veneno pater?
- Pharn. Laetissima nunciatis: 1275
Non sceleri diadema, sed debeo fatis.
Ipse in se pater ultiro deliquit
Et haeredi coronam reliquit.
- Bitit. *prodiens*
Falsus, falsus, o princeps, es vates:
Nondum coronam reliquit Mithridates. 1280
Adhuc ornat diadema regiam frontem
Nec transire dignatur ad filium sontem.
- Pharn. Cadaver corona non diu ornabit,
Mox sons ille filius eam gestabit.
- Bitit. Dixi, falsus es vates: 1285
Nec diadema nec vitam reliquit Mithridates.
- Pharn. Quid? fefellisti, frater?
Vivitne pater?
- Bitit. Vivit incolumis.
Venena, quae sumpserat, cessere antidotis. 1290
- Pharn. O gravis rerum mutatio!
Quid duo reges in eodem palatio?
- Bitit. Tune rex?
Quae vivo parente id sinit lex?
- Pharn. Ego legum dominus, 1295
Ita iubet exercitus.

Diadema ad me mitti iubeo:
 Abi, Bititi; hoc patri per te nuncio.
Bititius abit.

Ode alterna

I.

- | | | |
|--------|--|------|
| Tirid. | Quid agis, Pharnaces? | |
| Pharn. | Quod tanta poscit spes. | 1300 |
| Tirid. | Haec fert a nato pater? | |
| Pharn. | Deliberavi, frater. | |
| Tirid. | Quod non Sylla, non Lucullus, Quod non hostis tulit ullus, Rapiet nunc filius? | |
| Pharn. | Quod non potuit Lucullus, Quod non Sylla, hostis nullus, Solus potest filius, Solus suum tenet ius. | 1305 |

II.

- | | | |
|--------|--|------|
| Tirid. | Quod nobis iactas ius? | 1310 |
| Pharn. | Quod dat hic capulus. | |
| Tirid. | Vis ergo sola placet? | |
| Pharn. | Lex inter arma tacet. | |
| Tirid. | Quo auctore lucem vides, Ei haec respondeat fides, Parricida impie? | |
| Pharn. | Vitam mihi qui donavit, Vitam a me impetravit: Nemo, rege Pharnace, Patrem ausit tollere. | 1315 |
| | | 1320 |

III.

- | | | |
|--------|---|------|
| Tirid. | Sed ubi vivet rex? | |
| Pharn. | Id dicet Romae lex. | |
| Tirid. | Romano prodis patrem? | |
| Pharn. | Quid si et una fratrem? | |
| Tirid. | Ante vale dicet luci, Quam se in triumpho duci Sinat victor inclytus. | |
| Pharn. | Licet, vale dicat luci, Si se in triumpho duci Nolet victor inclytus; Non hoc illi nego ius. | 1325 |
| | | 1330 |

- Pharn. Romanis permitto arbitrium,
Mihi sufficiet diadema traditum.
- Bitit. *rediens*
Diadema Mithridates non tradet
Moxque tuis e manibus liber evadet. 1335
- Pharn. Circumstant undique, qui teneant fugientem.
- Bitit. Non cuges! audi patrem, per me respondentem.

Ode

- I.
- Bitit. Quid petis, o proles rebellis,
Iratis progenita stellis?
Veniam dat pater tibi,
Diadema servat sibi:
Etsi manet illum nex,
Tamen morietur rex. 1340
- II.
- I, serve Romani Senatus,
Futurus et ipsi ingratus.
I, adora Romae fasces,
Oculos Quiritum pasces!
Hoc ut scelus minuat,
Pater natum abdicat. 1345
- III.
- En munus, o fili ingrate!
En ensem, o impie nate!
Hic te patre liberavit,
Hic heroem trucidavit,
Hoc traiecit ense se,
Manum adiuvante me. 1350
- 1355

- Pharn. An pater hoc ferro iacet?
- Bitit. En, ut hoc pio filio placet!
Hunc sanguinem, munus ultimum, cape.
Diadema si cupis, e vertice rape.
- Pharn. Diadema petebam, non spiritum. 1360
Effertur in scenam Mithridates.
- Bitit. En patrem! en regem inclytum!
- Pharn. Pater! an morientem te video?
- Tirid. O genitor, care genitor! heu, qualem te defleo?
- Mith. Hic tot bellorum fructus.

| | | |
|--------|--|------|
| Tirid. | Elinguem me facit luctus. | 1365 |
| Pharn. | Pater, quo me purgem, non habeo. | |
| Mith. | Fruere, fili, hoc gaudio. Sed audi monitum ultimum, Imitare patris in Romanos odium! | |
| Bitit. | Hoc odium, rex magne, te perimit: Heu, quantus vir, quo modo nos deserit! | 1370 |

Ode

I.

| | | |
|--------|-------------------------|------|
| Bitit. | <i>Choro sequente</i> | |
| | O moesta sors! | |
| | O tristis mors! | |
| | Te ducem bello maximum, | |
| | Te militem acerrimum, | 1375 |
| | Tot gentium victorem, | |
| | Te patriae honorem | |
| | Perdimus! | |
| | Gemimus! | |

II.

| | | |
|-------|----------------------|------|
| Mith. | <i>solus</i> | |
| | O mea gens! | 1380 |
| | Exultat mens! | |
| | Romanas vires fugio, | |
| | E vita liber abeo. | |
| | Vos, filii, valete | |
| | Et odia explete! | 1385 |
| | Patria! | |
| | Vindica! | |

III.

| | | |
|--------|-------------------------|------|
| Bitit. | <i>sequente Choro</i> | |
| | Heu, odia | |
| | Quam noxia! | |
| | Invicte semper anime, | 1390 |
| | Rex aevi nostri maxime, | |
| | Te tua manu stratum, | |
| | Iacentem ante fatum | |
| | Perdimus! | |
| | Gemimus! | 1395 |

Actus quintus

Scena prima

Prusias, Annibal

- Prus. Heu, quam procellam fugimus, fide Annibal!
Superi! propinquum quam mihi exitium fuit!
Vix nunc fugatis hostibus tutum satis,
Vel in arce media, caput ab insidiis reor.
- Ann. Accerse fidam Nicomedia manum; 1400
Quem nunc fugavi, levis et instabilis globus
Iterare non audebit infelix scelus.
- Prus. Quantum tua, heros, me sibi obstringit fides,
Quae sola vitam Prusiae fato eripit!
Te si carerem, vinceret dirus latro. 1405
- Ann. Vnum reposco praemium. tandem vide,
Quae sint Quiritum studia quisve in te favor.
- Prus. Vah, Roma fallax, saeva, inexsaturabilis!
Latrocinari non piget? non te pudet?
- Ann. Nullius illam sceleris aut piget aut pudet, 1410
Quo regna vincere omnia et reges queat.
- Prus. Sed Flamininus proditor num non luet?
- Ann. Custodia num perfidum cingi iubes?
An, quod videtur potius, hinc pellis procul?
- Prus. Severiora non probo: Romae hoc dabo, 1415
Illaesus hinc ut migret indignus latro.
Denuncia sententiam, migret statim.
- Ann. Iubebo regis nomine; at in arcem prius
Voco maniplos Nicomedia tuos.
- Prus. O fide nimium Prusiae! o custos meus! 1420
Non iam tacebo nec meum errorem tegam.
Agnosce tandem Prusiam, ingratum et levem!
Quos tu maniplos Nicomedia cies,
Vt Prusiae tuteris indignum caput,
- Hos ego vocavi caecus, effari pudet, 1425
Ne via pateret fugere cupienti tibi.
A Flaminino territus, cessi minis:
Clauduntur omni ex parte circa arcem procul,
Quos te sciebam tegere, septeni exitus.
- At nunc retractum militem sistam tibi. 1430
- Ann. Rex! quamdiu te Roma circumagit dolis!
Non iam illa Roma est vetere candore inclyta;
Quam degener sit populus atque impar avis,

- Haec ipsa luculenter ostendit dies.
 Horum parentes sponte pandebant dolos,
 Quos forte in hostem servus obtulerat reus;
 Hos consularem mittere haud puduit virum,
 Qui concitaret Prusiam in cladem hospitis.
 Rex, talis urbs te fraudibus capiet suis?
 Prus. Non capiet ultra! bella iam, bella ardeo!
 I, Flamininum exire mox regno iube!
- 1435
- 1440

Scena secunda

Prusias, Annibal, Quintius

- Quint. Quae causa pelli Quintium regno iubet?
 Quis criminator aut quod affingit scelus?
 Prus. Res ipsa loquitur et nihil fingi docet.
 Quint. Res ipsa loquitur: Punicae fraudes patent,
 Quas intueri si cupis mecum palam,
 Ad limen arcis vertere haud pigeat gradum.
 Prus. Vbi Quiritum tela petiere hoc caput.
 Quint. Vbi Quiritum tela celarunt dolos,
 Queis ausus est me teque tentare Annibal.
 Ann. Contra latrones dextera probavit fidem.
 Quint. At hi latrones te sequebantur ducem.
 Rex, ne morare: vulnere affectus gravi
 Iacet tribunus perfidi illius globi,
 Quem fida dissipavit Annibalis manus.
 Cognosce vultum, verba suprema accipe;
 Namque ille pandet, quidquid arcani latet,
 Vnumque rogar hoc, ut tibi sinatur loqui.
 Prus. Quis vulneravit?
 Quint. sequere, narrabo omnia.
 Prus. Festino, ne mors ultimam vocem occupet.
- 1445
- 1450
- 1455
- 1460

Scena tertia

Annibal, Aristo

- Ann. Infausta coepta! prodiit erumpunt doli!
 Arist. Non annuit Fortuna speratae fugae.
 Ann. Stat nempe miles regius ad omnem exitum;
 Id ipse fassus Prusias ultro mihi est.
 Sed filius ubi? quae morae lendum tenent? 1465
 Arist. Vt ostium latentis attigimus viae,
 Properavit illa semita arcana egredi;
 Nec hostis ullus, qui moraretur, fuit,
 Nec ulla nobis tela claudebant viam.
 Procedimus, cum proximo colle abditi
 In nos feruntur armaque intentant viri.
 Amens refugio, filium inclamans voco.
 At ille celeri militum inclusus manu,
 Frustra, teneri haud posse se, clamat miser;
 Nam iussa miles regia quaerenti obiicit. 1475
 Ann. Captivus ergo natus? an laesus quoque?
 Arist. Illaesus, at captivus, infensis Diis.
 Ann. Heu, sentio! estis, estis infensi, o Dii!
 Vale, o amice! filium, accurro, ut iuvem.
 Fortasse poterunt aliquid Annibalis preces,
 Promissa fors et munera aut ensis meus. 1480
 Arist. Ah, frange tantos mentis heroae impetus!
 Imperia regum gravia quis vitat satis?
 Quis illa vincit? rex patrem et natum petit:
 Subsist, placa Prusiam et natum eripis.
 Ann. Protractus est a Quintio in lucem dolus:
 Mage concitatus Prusias in me furet. 1485

Scena quarta

Annibal, Aristo, Trabea inter manus Militum Prusiae

- Trab. Succumbo: vires deserunt. video patrem!
 Ann. Heu, Trabea! quis te languor? hei mihi, quid moves?
 Trab. *sedens*
 Ne vincla patiar, morior, at dextra mea. 1490

- Ensem petebat hostis; ego torsi illico
In me ipse ferrum. liber hinc migro, o pater!
- Ann. Heu, nate! sic eriperis inopino exitu?
Qua te recepi, rursus amitto die?
Ah, cur dedere te mihi severi Dii,
Si te carere tam cito iubeor miser?
- Trab. Est fructus ingens unius lucis mihi,
Quod linquo vitam filius tanti patris.
- Arist. Heroe dignum filium perdit pater!
- Ann. Annibale dignus patre, cur iuvenis perit?
Mea tu trophyea, nate, debebas sequi
Et rursus Alpes frangere et Trebiam novam,
Novum Saguntum quaerere et modios novos.
Nunc avocaris ante malefaustum patrem!
- Trab. Tu vive, genitor!
- Ann. me quoque reposcunt Dii.
- Trab. ‘Libyssa tellus corpus Annibalis teget.’
Hoc recreor uno, gloria et redditu patris.
- Ann. Tecum peribo, nate! te moriens sequar!
Me teque vox fefellit ambigui Dei.
Hic quoque Libyssa terra me tumulo teget,
- Trab. Ripa Libyssi fluminis condar pater,
Ad quam peremis se sua natus manu.
Deficio, genitor ... vale!
- Ann. vale, o fili! vale!
Nos denuo coniunget Elysium nemus,
Vbi nulla in umbras Roma dominatum petit.
- Moritur! sed heros moritur et dignus patre!
Genitor praeire debui; at fortis sequar.
O dolor amore! cura! desperatio!
Pudor! ira et odium! cuncta simul in me irruunt!
- Cedo dolori: non fero aspectum gravem.
- Arist. Cadaver hinc auferte, ne luctum augeat.
- 1495
- 1500
- 1505
- 1510
- 1515
- 1520

Scena quinta

Aristo, Gisgo

- Gisg. Vbi Annibal? responsa nunc posco ultimum.
Ni dedat ultro filium, superest via,
Qua consulatur gloriae Carthaginis.

| | | |
|--------|--|------|
| Arist. | Nil machinis iam, Gisgo, nil opus est minis. Nihil negabit Annibal, si quid petis. Iras remitte; si tibi obiecit moras, Amor paternus territum excuset virum. Scis, quanto amore patriae constans flagret. | 1525 |
| Gisg. | Magnus amor illi, maius est odium tamen; Hoc si careret - non nego laudes viri -, Omnis memoriae summus heroum foret. Sed filius si redditur, mihi fit satis. | 1530 |
| Arist. | Non iam laborat, natum ut eripiat, pater. Et hostia Diis, quam poposcerunt, manet. | 1535 |
| Gisg. | Nunc, nunc triumpho! Martius fomes perit! Aeterna pax Carthaginem et Romam beat! | |

Scena sexta

Aristo, Gisgo, Quintius, Prusias cum suis omnibus

| | |
|--------|---|
| Prus. | Aristo, adesse coram et Annibalem volo. |
| Arist. | Monebo, nec morabitur regem Annibal. |

Scena septima

Iidem, praeter Aristonem

| | | |
|-------|--|------|
| Prus. | Calumnia te libero, Quinti, palam Teque innocentem gaudeo ac laudo fidem. | 1540 |
| Gisg. | Audita criminatio et nobis fuit, Quae Flamininum stigmate notabat gravi. | |
| Prus. | Totam peractae tibi memoro seriem rei. Cum Quintius me cedere coegit sibi, Desideratum ut dederem Annibalis caput, Vitare statui proditi aspectum viri. Dum posco currum iamque conscendo prope, Romana surgunt arma meque unum petunt. | 1545 |
| | Vix me periclo celeris eripuit fuga, Dum proditores dextera Annibalis fugat. | 1550 |

- Quint. Cessere iussi, sponte simulata fuga.
 Satellitum unus terga fugientum premit,
 Violatum honorem regis ulturus sui,
 Et assecutus ultimum ferro necat. 1555
- Tribunus ipse ceteris fugientibus,
 Dum respicit, satellitis ferrum excipit.
 Victor iacentes spoliat atque aperit scelus:
 Annibalis homines esse, fit cunctis palam.
- Prus. Vltima tribuni verba mihi narrant dolum. 1560
 Veniam precatus et sibi et sociis, Deos
 Testatur omnes, esse se fidos mihi,
 Quaesisse tantum Quintio invidiam et notam.
 Sic abit ad umbras; veritas nobis patet.

Scena octava

Iidem, Annibal, Aristo

- Prus. An Roma me versuta circumagit dolis?
 Liquere technas, Annibal, sentis tuas? 1565
- Ann. Sentio nec erubesco: seu vis seu dolus
 Propulsat hostem, vincere utrovis licet.
- Quint. Vtroque victus Annibal, totus iacet;
 Et forsitan aliquo nunc frui potero metu. 1570
- Ann. Non metuo, Quinti! nulla me frangunt mala.
 Regem ut iuvarem, quidlibet honestum ratus,
 Hac arte concitavi in urbem noxiā;
 Audacia nil pulcrius in hostes puto.
- Prus. Nos Punicis audaciam iunctam artibus
 Iam non amamus teque deserimus palam. 1575
- Ann. Dudum relictus, proditus dudum fui.
 Rex, Flaminine, Gisgo, quod petitis, dabo.
 Tu, rex, abire me tuo regno iubes;
 Me Flamininus, filium Gisgo petit: 1580
- Hos iuro Divos, omnibus faciam satis!
 Tu, Gisgo, primum: vin' tibi Trabeam dari?
- Gisg. Non mihi, sed urbi patriae dedi volo.
- Ann. Fac ergo, Aristo, fac, Trabea ut adsit mihi.
 Crudelitatem satiet hac Hanno hostia. 1585
- Prus. Quid hoc?
- Ann. cadaver eius est, cui te patrem,
 Rex Prusia, paulo ante spondebas fore.

- En, Trabea! placet haec hostia, o Gisgo, tibi?
 Tibi, Flaminine, num placet talis nepos?
 Tibique natus, Prusia? frustra, impii!
 Frustra, latrones! ipse praevenit minas
 Sibique reperit spiritus liber viam.
 Nos quoque reperimus. aspice hunc, Quinti, annulum!
 Tui est parentis, hic me, hic eripiet tibi.
 Hic unus e tot annulis nunc est super:
 Carthago reliquos servat, hunc linquit mihi.
 O cara filii umbra! quod gladius tibi,
 Hoc mihi venenum ex annulo hoc haustum dedit.
 Age, Flaminine, gratias magnas mihi,
 Tuam quod urbem libero tandem metu
 Gravibusque curis anxios moriens levo.
- Arist. O dira Roma! militi parci tuo
 Cannas ad ipsas iussit in bello Annibal;
 Tu pace media perdis heroem hospitem.
- Ann. Hanc, magna Roma, gratulor victoram:
 Superas inermem, proditum tibi per nefas.
- Gisg. Deploro tanti civis indignum exitum!
- Ann. Valere iubeo patriam, ingratam licet,
 Rursusque Martem Punicum in Romam sequi,
 Dum Roma Carthagove tollatur loco.
- Gisg. Narrabo nostris ultimam Annibalis fidem.
 Nec ulla nos tam surda posteritas manet,
 Quae non ad astra nomen Annibalis ferat.
 Dii patrii, cur odia non vicit sua,
 Qui vicit hostes ceteros?
- Arist. mortis notae
- Iamiam propinqua membra concutiunt viri.
- Quint. Dux gloriose! moreris heroum modo.
- Ann. Solum hoc meorum facinorum Romae placet.
- Quint. Mihi crede, non hanc Roma, non petiit necem;
 Secura cupiit vivere Quirini domus,
 At non perire nobilem cupiit ducem.
- Nos parceremus, tu tibi gravius noces.
- Ann. O misericordes! gratias poscis meas?
 Tibi, Prusia, rex proditor et auctor necis,
 Tibi hospitales gratiam reddent Dii.
- I, servitutem quaere, Romanos ama,
 Servilia fer insignia, appella Deos,
 Exosculare curiae limen iacens,
 Ridendus ipsi, regio indignus gradu.
- Prus. Ah, magne victor! quam mihi nex haec dolet!
 Quis praevideret talia? ignosce; ah, precor!
 Ignarus et compulsus admisi nefas.

- Ann. Audite vota Annibalis extrema, o Dii!
 Gens omnis arma tollat in Romae caput!
 Haec ipsa lasset Italos Bithynia,1635
 Alterque nostro surgat e tumulo Annibal!
 Civilibus tum praeliis Roma impotens
 Se laceret ipsa! serviat tandem domi!
 Sic, Roma, salve, sic mihi aeternum vale!
- Prus. Deficit et aestu fractus irarum interit.1640
- Ann. Victoriarum hic finis ... haec merces mihi est!
- Gisg. Extinguitur lux patriae, summus ducum.
- Prus. Me dicet orbis funeris tanti, heu, reum!
- Quint. Quin potius ipsum. spiritu infelix caret.
 Ille imperator, terror Ausoniae unicus,1645
 Quem nulla potuit dextera exitio dare,
 Abreptus odio, fata miseranda invenit.

<Finis>

Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt die Ausgabe von 1758 mit dem vollständigen Titel „ANNIBAL MORIENS“ (vor dem 1. Akt jedoch nur „ANNIBAL“); deren zahlreiche Anmerkungen mit Hinweisen auf antike Quellen sind im Folgenden gesammelt abgedruckt. Das Mannheimer Exemplar ist über das MATEO-Projekt der dortigen Universität im Internet einsehbar (www.uni-mannheim.de/mateo/camena/weit1/te01.html); die htm-Fassung wurde für diese Ausgabe benutzt.

Die orthographischen Eigenheiten des Originals wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktionszeichen wurden jedoch überarbeitet und vereinheitlicht; hier dokumentiert nur für den Tragödientext, nicht auch für das Prosa-Argumentum und die Anmerkungen. Stets gedruckt wurde *i* für *j*, *v* für konsonantisches *u*, *u/V* für vokalisches *u/U*, *causa* für *caussa* sowie *quotquot* statt *quot quot* (1019), *sese* statt *se se* (578).

Groß geschrieben wurde: *Deus* (688, 1477, 1478, 1495, 1505, 1509, 1535, 1625, 1627) sowie 308 *Punico*, 321 *Punicum*, n447 *Abit*, 459 *Fortunae*, 648 *Maximo*, 750 *Patres*, 1642 *Fortuna* und A2 *Tragoediae*, A6 *Scenas*; klein dagegen: 19 *domina*, 20 *ducem*, 934/939 *urbem*, 1529 *patria*, 1597 *cara*. Beibehalten wie im Original wurde als Zeichen interessanter Gewichtung *rex* neben *Legatus* im Darstellerverzeichnis.

Wie die benachbarten Verse wurden eingerückt 16, 1323. Im Darstellerverzeichnis wurden die des Prologs und der beiden Chöre ergänzt. Die Nennung der Darsteller vor den Szenen wurde geordnet, so 2,3 statt *AQT*, 4,3 *PAG*, 5,4 *AnTAr*, 5,5 *GA*, 5,6 *PQGA*.

| | | |
|-------|---|--------|
| A 2,8 | <i>discrimen</i> statt <i>descrimen</i> | CAMENA |
| A 6,3 | <i>filum</i> statt <i>filium</i> | CAMENA |
| 260 | <i>avos./ ne</i> statt <i>avos./ ne</i> (cf. 265f.) | |
| 307 | <i>Salapiæ</i> statt <i>Sala piae</i> | |
| 677 | <i>haecque</i> statt <i>haec quae</i> | CAMENA |
| 982 | <i>meque</i> statt <i>neque</i> | CAMENA |
| 1087 | <i>tituline</i> statt <i>tituli ne</i> | |

‘Komma’ gestrichen vor *et, atque, -que, neque, nec, aut, vel, -ve, an, quam* u.ä.: 8, 9, 10, 31, 38, 67, 74, 75, 77, 83, 85, 93, 95, 103, 115, 117, 120, 130, 136, 147, 153, 154, 156, 156, 157, 157, 158, 162, 167, 167, 169, 169, 182, 189, 202, 210, 218, 232, 241, 246, 249, 253, 254, 260, 260, 263, 272, 274, 277, 279, 282, 286, 297, 305, 306, 309, 309, 318, 328, 334, 337, 344, 351, 355, 357, 359, 370, 374, 378, 386, 389, 392, 405, 426, 428, 431, 433, 436, 452, 469, 469, 508, 520, 547, 551, 557, 568, 568, 582, 584, 603, 611, 618, 627, 631, 636, 637, 639, 644, 674, 676, 681, 682, 693, 693, 697, 698, 714, 716, 717, 720, 724, 728, 736, 736, 745, 753, 762, 765, 768, 769, 781, 787, 787, 794, 802, 805, 806, 825, 836, 848, 849, 855, 855, 860, 866, 866, 870, 875, 885, 890, 890, 896, 910, 923, 924, 928, 928, 931, 931, 954, 966, 967, 976, 982, 989, 999, 1004, 1020, 1023, 1029, 1037, 1042, 1049, 1050, 1060, 1079, 1089, 1093, 1108, 1114, 1116, 1126, 1135, 1136, 1137, 1147, 1149, 1150, 1153, 1154, 1156, 1160, 1161, 1182, 1190, 1195, 1205, 1214, 1223, 1227, 1231, 1232, 1232, 1232, 1236, 1250, 1254, 1262, 1264, 1266, 1271, 1277, 1281, 1286, 1384, 1407, 1410, 1410, 1411, 1421, 1422, 1443, 1444, 1471, 1481, 1485, 1503, 1507, 1509, 1516, 1518, 1541, 1548, 1549, 1558, 1561, 1561, 1567, 1567, 1576, 1591, 1600, 1624, 1640

‘Komma’ gestrichen nach: 107 *cinis*, 214 *plura*, 226 *viam*, 227 *arcem*, 242 *summum*, 344 *nobilis*, 401 *est*, 402 *est*, 440 *vocantem*, 589 *duces*, 632 *Flaminino*, 736 *Deos*, 739 *queat*, 928 *meam*, 957 *eruendae*, 1052 *adeptus*, 1377 *honorem*, 1393 *fatum*

‘Komma’ ergänzt: 10 *teque*, 13, 20, 27, 29, 35 *ah*, 45, 67, 161 *an*, 189 *Roma*, 195 *quam*, 195 *Flaminine*, 236, 236, 258, 291 *heu*, 377, 393 *Trabea*, 401, 402, 419, 455, 464, 609 *genitor*, 676 *patria*, 676 *quid*, 681 *fortasse*, 708, 726 *raptor*, 726 *en*, 794, 801 *heu*, 805 *fac*, 806, 806, 812, 841 *amplectar*, 858 *en*, 910 *rex*, 936, 940, 949, 952, 957, 959 *heu*, 965 *nunc*, 991, 1003, 1047 *serves*, 1118 *cave*, 1236 *probaris*, 1241, 1252 *en*, 1273 *ingemiscis*, 1287, 1357, 1363 *heu*, 1371, 1388, 1396 *heu*, 1408 *vah*, 1478 *heu*, 1482, 1489 *heu*, 1493, 1495 *ah*, 1505, 1508, 1531, 1582, 1582, 1588 *en*, 1590 *frustra*, 1591, 1599 *age*, 1599 *Flaminine*, 1624 *tibi*, 1630, 1631, 1639 *sic*, 1639 *Roma*, 1643, 1643

‘Komma’ statt ‘Punkt’: 1136

‘Komma’ statt ‘Doppelpunkt’: 47, 65 *Fortunam*, 106, 153, 166, 184, 227 *Tite*, 275, 300, 308, 363 *ipso*, 427, 434, 438, 489 *sum*, 497, 507, 564, 644, 649 *malum*, 678, 680, 745, 798, 829, 845, 910 *ullis*, 979, 1005 *obtinet*, 1041, 1042, 1143, 1144 *omnia*, 1150, 1340, 1424, 1456, 1468 *fuit*, 1470, 1472, 1596, 1620

‘Komma’ statt ‘Strichpunkt’: 30, 738, 1113, 1480

‘Komma’ statt ‘Klammer’: 1425, 1425

‘Punkt’ statt ‘Doppelpunkt’: 177, 428, 430, 435, 437, 445, 574, 593, 813, 1109, 1167, 1258, 1383, 1459, 1472
‘Punkt’ statt ‘Komma’: 1289

‘Strichpunkt’ gestrichen: 1481 *munera*, 1501 *sequi*, 1502 *frangere*
‘Strichpunkt’ ergänzt: 467, 1631

‘Strichpunkt’ statt ‘Punkt’: 142, 703

‘Strichpunkt’ statt ‘Doppelpunkt’: 41, 59, 82, 112, 137, 152, 171, 173, 186, 190, 199, 214, 220, 236, 241, 321, 327, 329, 336, 342, 358, 379, 388, 397, 401, 429, 436, 476, 512, 515, 524, 544, 550, 562, 563, 577, 592, 597, 620, 628, 722, 737, 749, 754, 771, 777, 779, 797, 812, 845, 907, 931, 940, 963, 979, 981, 985, 987, 997, 1010, 1026, 1036, 1039, 1048, 1058, 1062, 1075, 1103, 1122, 1128, 1130, 1142, 1145, 1158, 1168, 1173, 1198, 1208, 1219, 1234, 1262, 1269, 1272, 1330, 1400, 1418, 1432, 1436, 1456, 1463, 1467, 1474, 1491, 1517, 1527, 1530, 1564, 1569, 1573, 1579, 1603, 1619

‘Strichpunkt’ statt ‘Komma’: 165, 419, 484, 858, 1224, 1298

‘Doppelpunkt’ gestrichen: 181 *tulit*, 621 *gloriam*, 657 *tenet*, 659 *nece*, 1218 *colet*, 1334 *tradet*, 1540 *palam*

‘Doppelpunkt’ statt ‘Strichpunkt’: 163

‘Doppelpunkt’ statt ‘Komma’: 240, 788, 1582

‘Anführungszeichen’ ergänzt: 362ff.

‘Anführungszeichen’ statt Kursivdruck: 672, 713 (cf. 238), 716 (cf. 355), 939 (cf. 934), 946 (cf. 122), 1506

‘Gedankenstriche’ ergänzt: 957

‘Gedankenstriche’ statt ‘Klammern’: 1531

Prolog

- 8 Hos omnes secutos esse Annibalem, testatur Polybius Hist. 11, 17.
 14 Datum ab Iove ducem esse Annibali et imperatum adversus Romanos in Italia bellum, testatur Cicero l. 1 de Divinat. et Livius 21, 22 (iuxta divisionem Capitum a Dujatio servatam in Delphinis Parisiensibus, quam ubique sequor). Narrat et Val. Max. 1, 7.
 18 Iuno ... *hunc audet solum componere fatis*, Annibalem. Sil. Ital. 1, 1.
 22 *Primus inexpertas adiit Tirynthius arces* (Alpium):
Scindentem nubes frangentemque ardua montis
Spectarunt Superi. Sil. Ital. 1, 3.
 Primus eum secutus est Annibal, dum Alpes transiit, *quas nemo unquam cum exercitu ante eum, praeter Herculem Graium, transierat*. Cornel. Nep. in Annib. c. 3. Scipio quoque, Africani pater, de Annibale apud Livium (21, 41) ait: *aemulus itinerum Hercules, ut ipse fert*.
 56 Romani ipsi damnarunt crudelitatem Flaminini, qui Annibalem eo tempore oppressisset, quo iam nihil magnopere nocere is posset Vrbi omnium prope gentium victici. Plutar-chus in Flamin.
 77 Arrhae loco usurpatos olim annulos, auctor est Plinius, Hist. Natur. 33, 1.
 84 Iuvenis ille, ab Iove missus, vastitatem Italiae significavit, cum tempestas etiam audiretur, quae id ipsum portenderet. Liv. 21, 22. Val. Max. 1, 7.

Akt 1

- 119 *Ad Prusiam regem legatus T. Quintius Flamininus venit.* Liv. 39, 51. Idem habent ceteri, qui de Annibale tradiderunt, Corn. Nep. in Annib. c. 12, Plutarch. in Flamin.
 122 *Flaminini quoque adventum velut fatalem sibi horruerat*, ait de Annibale Livius, 39, 51.
 134 Quam diligentem Annibali operam Carthagine navarit Aristo Tyrius, cum iam ad Antiochum Annibal profugisset, narrant Livius, 34, 61 et Appianus in Syriacis.
 146 ... *atque ibi magnus*
Mirandusque ciliens sedet ad praetoria regis,
Donec Bithyno libeat vigilare tyranno. Iuvenal. de Annibale, Sat. 10.
 150 *Plurimum audacie ad pericula capessenda, plurimum consilii inter ipsa pericula erat; nullo labore aut corpus fatigari aut animus vinci poterat ... cibi potionisque desiderio naturali, non voluptate modus finitus ... multi saepe militari sagulo opertum humili iacentem inter custodias stationesque militum conspexerunt. vestitus nihil inter aequales excellens, arma atque equi conspiciebantur. equitum peditumque idem longe primus erat: princeps praelium inibat, ultimus conseruo praelio excedebat.* Haec Annibalis effigies apud Liv. 21, 4.
 161 *Ac nescio an mirabilior adversis quom secundis rebus fuerit.* Liv. 28, 12.
 176 Romani ad Antiochum Legati omnibus diebus assidui circa Annibalem fuere, dicentes, timide eum a patria recessisse, cum pacem Romani non tam cum republ. eius quam cum eo factam summa fide custodian; nec bella eum Romanorum magis odio quam patriae amore gessisse, cui ab optimo quoque etiam spiritus ipse debeatur; has enim publicas inter populos, non privatas inter duces, bellandi causas esse. inde res gestas eius laudare. Iustinus l. 31.
 178 *Missi a Senatu Legati sunt, qui utrumque regem in pacem cogerent.* Iust. l. 32.
 180 *Inter Prusiam ... et Eumenem bellum ortum est, quod Prusias Annibalis fiducia rupto foedere prior intulit.* Iustin. l. 32.
 193 Verba Annibalis ad Scipionem: *novi vobis spiritus magnos magis quam utiles.* Liv. 30, 30.
 211 Annibalem hominum omnium qui viverent infestissimum Populo Romano. Liv. 39, 51.
 213 *De duce Annibale, nato adversus Romanos hoste.* Liv. 35, 12.
 226 Libyssum et eum locum, quo mortuus Annibal est, vicinum Nicomediae fuisse, apparent ex Historia Plinii, l. 5 c. ult. Diserte Paulus Diac. Aquilei. *Apud Libyssam in finibus Nicomediensium.* Hist. l. 4.
 244 Annibal et Scipio, *duo omnium et antea et postea ducum maximi.* Florus, 2, 6.
 246 *Gestat Agenoreus nostro de more secures*
Consulis, et sparsos lictor fert sanguine fasces. Sil. Ital. l. 8.
 248 Fatebantur ipsi Romani, *non esse hodie tot fasces magistratibus Populi Romani, quot captos ex caede Imperatorum praferre posset Annibal.* Liv. 30, 28.
 254 *Nec Poenum liquere doli.* Silius l. 5.
 307 Salapiae captum esse Annibalem amore puellae, constat e Plinio Hist. Nat. 3, 11. Vt vero legitimum ac maritalem hunc amorem facerem, praeter decorum, suasit etiam historia, quae temperantissimum fuisse Annibalem docet. Ita Iustin. l. 32, qui praeter alia ait: *pudicitiamque eum tantam inter tot captivas habuisse, ut in Africa natum quivis negaret.*
 345 *Africanus privata beneficia a rebus publicis secreta esse dixit; aliaque esse patris officia, alia patriae iura, quae non liberis tantum, verum etiam vitae ipsi praeponantur;*

- proinde gratum se munus accipere privatoque impendio munificentiae regis responsorum.* Iustin. l. 31. Narrat et Liv. 37, 36.
- 369 Imilce Annibalis coniux, apud Silium Ital. l. 4. Castulone orta, teste Livio, 24, 41.
- 385 Bellum Punicum II finitum est Cn. Cornelio, P. Aelio Paeto Coss., ut habet Liv. 30, 44. Qui annus est apud Carol. Sigonum in Chronologia, A. V. C. 549. Annibalis mortem alii aliis annis tribuere: Qui maxime properarunt, nominant Coss. M. Claudium Marcellum, Q. Fabium Labeonem, qui incident secundum Sigonum in A. V. C. 567. Prodeunt ergo anni 18.
- 390 ... *si admoveris ora,*
Cannas et Trebiam ante oculos Thrasymenaque busta
Et Pauli stare ingentem miraberis umbram. Sil. Ital. l. 11.
- 416 *Non est inficiandum, Annibalem tanto praestitisse ceteros Imperatores prudentia, quanto Populus Romanus antecedat fortitudine cunctas nationes.* Corn. Nep. in Annib. c. 1.

Chorus I.

- 420 Mithridatem, cognita proditione filii, eidem ignovisse, auctor est Appianus Alexandr. in Mithrid.
- 427 Idem a Pompeio *fusus fugatusque et omnibus exutus copiis.* Vell. Pat. l. 2., donec (Mithridates) *tribus ingentibus bellis subactus, felicitate Syllae, virtute Luculli, magnitudine Pompeii consumeretur.* Florus, 3. 5.
- 434 A Pompeio *tum penetratae cum victoria Media, Albania, Iberia; ac deinde flexum agmen ad eas nationes, quae dextra atque intima Ponti incolunt, Colchos Heniochosque et Achaeos.* Vell. Pat. l. 2.
- 435 *Per defectionem civium Pharnacisque filii scelere praeventus.* Flor. 3, 5.
- 436 *Oppressus auspiciis Pompeii, insidiis filii Pharnacis Mithridades.* Vell. Pat. l. 2.
- 438 *Mithridates ... odio in Romanos Annibal.* Idem eodem l. 2.
- 441 *Totum paene Orientem ac Septentrionem ruina sua involvit.* Florus, 3, 5.
- 458 *Sed animus (Mithridatis) malis augebatur.* Flor. 3, 5.
- 476 *Adhuc ita vestri cum illo rege contenderunt Imperatores, ut ab illo insignia victoriae, non victoriā reportarent.* Cic. pro Leg. Manil.; fatetur et Flor. 3, 5 de Lucullo: *debellatum etiam foret, nisi de Mithridate triumphare cito quam vere maluisset.*
- 479 Vicerat Bithyniam, Cycladas, Delon, Euboeam, Boeotiam, Athenas ipsas. Flor. 3, 5. adde ex Plut. (in Sylla) Paphlagoniam et Cappadociam, et ex Appiano (in Mithr.) Scythas et mare Cilicum.
- 483 Id maxime verebatur, ne a suis traderetur Romanis et in triumpho ab his duceretur. Appianus Mithr.
- 487 Id maxime verebatur, ne a suis traderetur Romanis et in triumpho ab his duceretur. Appianus Mithr.
- 492 Venenum, quod in ense gerebat perpetuo, sumpsit. Appian. Mithr.
- 498 *Vltimus omnium iuris sui regum, praeter Parthicos.* Vell. Pat. l. 2.
- 501 Eos, qui in fide perstiterant, ad novum regem ire iussit. Appian. Mithrid.
- 503 *Asiae totius et, si posset, Europae cupiditate flagrabat.* Flor. 3, 5.

Akt 2

- 527 Testem supra (ad Act. I. Sc. 2.) dedi Iustinum, l. 31. Addo hic Livium, 35, 14; et Appianum Syriac. *Romani quoque ad Antiochum legatos misere, qui sub specie legationis ... Annibalem aut Romanis mitigarent aut assiduo colloquio suspectum invisumque regi redderent.* Iustin. l. 31.
- 534 Idem Iustinus ibidem et Corn. Nep. in Annib. c. 2.
- 537 Mores Populi Romani mutatos obiecit Annibal ultimo vitae die, teste Livio, 39, 51.
- 541 Prusiam suspectum Romanis, et receptus post fugam Antiochi Annibal et bellum adversus Eumenem motum faciebat. Liv. 39, 51.
- 544 *Odi odioque sum Romanis.* Verba Annibalis ad Antiochum, auctore Livio, 35, 19.
- 549 *Siquid amice de Romanis cogitabis, non imprudenter feceris, si me celaris; cum quidem bellum parabis, te ipsum frustraberis, si non me in eo principem posueris.* Corn. Nep. Annib. c. 2. Narrat et Livius, 35, 19.
- 551 Italiā reliquit Annibal post finem anni 16. Punico II consumpti. Liv. 30, 21 ac 30, 28. Punicum II finitum est *septimo decimo anno.* Liv. 30, 44.
- 552 Bello Punico II combussit Annibal urbes 400. Appian. Alexandr. in Syriacis et Libycis.
- 555 *Annibal, cum ad Antiochum pervenisset, velut Deorum munus excipitur.* Iustinus l. 31.
- 561 *Id me verum dicere, pater Amilcar et Dii testes sunt.* Liv. 35, 19. Tactis aris, iuravit puer, *nunquam me in amicitia cum Romanis fore,* Corn. Nep. in Annib. c. 2. Idem iusiu-randum referunt Liv. 21, 1, Val. Maximus 9, 3 et Polybius Hist. 3, 1.
- 569 *Sub hoc sacramento sex et triginta annos militavi; hoc me in pace patria mea extulit, hoc patriae extorrem in tuam regiam adduxit; hoc duce, si tu spem meam destitueris,*

- ubicunque vires, ubi arma esse sciam, huc veniam toto orbe terrarum quaerens aliquos Romanis hostes.* Liv. 35, 19.
- 571 Castellum donarat Annibali Prusias, Corn. Nep. in Annib. c. 12. Id ad Libyssum fuisse, ostendit Appianus in Syr.
- 573 *Hostem qui feriet, mihi erit Carthaginiensis, Quisquis erit.* Ennius in fragm.
- 583 Annibal Prusiae conciliabat ceteros Reges adiungebatque bellicosas nationes. Corn. Nep. in Annib. c. 10.
- 590 *Annibal consilio arma Pergamenorum superavit; neque tum solum, sed saepe alias pedestribus copiis pari prudentia pepulit adversarios.* Idem, Annib. c. 11.
- 592 *Antiochus autem, si tam in agendo bello parere voluisset consiliis eius, quam in suscipiendo instituerat, propius Tiberim quam Thermopylas de summa imperii dimicasset.* Idem, Annib. c. 8. Invidia id factum, narrat App. Syr.
- 593 Testis Corn. Nep. in Annib. c. 8.
- 595 Cum ostendisset Antiochus Annibali exercitum suum auro argentoque fulgentem ex eoque coepisset quaerere, an satis esse crederet Romanis haec omnia: *satis plane, inquit, satis esse credo Romanis haec omnia, etiam si avarissimi sunt.* A. Gell. 5, 5.
- 650 Liv. 22, 23 et Plutarch. in Fabio Maximo.
- 657 Iussu Senatus postulatum esse a Flaminino, ut Prusias Annibalem dederet, multi crediderunt; quod videre est apud Corn. Nep. in Annib. c. 12, Plut. in Flamin., Iustin. I. 32, Val. Max. 9, 2, Sil. Ital. I. 13.
- 659 Alii Flaminum id sua sponte fecisse censebant, ut habent Appianus in Syriac. et Plut. in Flaminino.
- 661 *Gloriae studio, ut nomen sibi ex eius morte compararet.* Plut. in Flamin.
- 672 Oraculum refert Plut. in Flamin. Meminit et Appian. in Syriac.
- 689 *Libyam suspicabatur et sepulturam Carthagine sperabat, tanquam ibi moriturus.* Plutarch. in Flamin.
- 731 *Vrna reducebat miserandos annua casus.* Sil. Ital. I. 4. loquens de Sacro hoc Carthaginensi et petito ad Sacrificium filio Annibal, quem pater negavit. Quod Silius, etsi versus rem narrat, more tamen suo ex historia videtur sumpsisse. De humanis certe victimis Carthagine usitatis, constat ex Curtio I. 4; Lactantio, Inst. Div. I. 21; Augustino, C. D. 7, 26; Plutarcho de Superstitione, c. 21, et Apophth. Graec. c. 20.
- 747 De Hannonis adversus Annibalem odio multis Livius, 21, 10; 21, 11; 30, 20 et alibi.
- 757 *Romani Imperii Carthago aemula.* Vell. Pat. I. 1.
- 758 Annibali ... iurata in bella ruenti. Sil. Ital. I. 1.
- 762 *Crudelissima ac superbissima gens, sua omnia suique arbitrii facit; cum quibus bellum, cum quibus pacem habeamus, se modum imponere aequum censem.* circumscribit includitque nos terminis montium fluminumque, quos ne excedamus; neque eos, quos statuit, terminos observat. Sic Annibal de Romanis, apud Liv. 21, 44.
- 764 *Nihil usquam nobis relictum est* (ait contra Romanos Annibal), nisi quod armis vindicarimus. Liv. 21, 44.
- 766 *Paene ultimum vulnus imperii, Cannae.* Florus, 2, 6. *Cannae busto insignes Romani nominis.* Plin. Histor. Natur. 15, 18.
- 767 In decretorio ad Zamam praelio (quod narrat [CAMENA statt narnat] Livius I. 30 distincte) *Annibal cessit, praemiumque victoriae Africa fuit, et secutus Africam terrarum orbis.* Florus, 2, 6.
- 770 Annibal, impacto in terram pede et suscitato pulvere, cum de Roma et Carthagine sermo esset, *tunc inter eas fore finem belli dixit, cum alterutra urbs in habitum pulveris esset redacta.* Val. Max. 9, 3.
- 773 *Diduxit scopulos et montem rupit aceto.* Iuvenal. Sat. 10. *Struem ingentem lignorum ... succidunt ardentiaque saxa infuso aceto putrefaciunt.* Liv. 21, 37.
- 803 Verba Annibal: *Multa, quae impedita natura sunt, consilio expediuntur.* Liv. 25, 11.
- 806 Annibal ... ortus
Sarrana prisci Barcae de gente, vetustos
A Belo numerabat avos. Sil. Ital. I. 1.

Akt 3

- 849 Africanus Maior Massivam, Masinissae [CAMENA statt Masanissae] hostis filium, in praelio captum, regi patri ultiro remisit. Liv. 27, 19.
- 865 Flamininus a Prusia, nomine Senatus, petuit, *ne inimicissimum suum secum haberet sibi que ut dederet.* Corn. Nep. in Annib. c. 12.
- 881 Inter conditiones pacis, quam Poenis Roma post Punicum II dedit, haec quoque fuit: *Bellum neve in Africa neve extra Africam iniussu Populi Romani gererent.* Liv. 30, 37.
- 884 *Philippum, quem absens (Annibal) hostem reddidit Romanis.* Corn. Nep. in Annib. c. 2. Idem est apud Livium, 23, 33 et 33, 49. Tota foederis formula exstat apud Polybium Hist. 7, 2.
- 886 *Omnium his temporibus potentissimus rex Antiocbus fuit. Hunc tanta cupiditate incendit bellandi, ut etc. de Annibale loquens,* Corn. Nep. Annib. c. 2.

- 889 *Regem (Prusiam) armavit et excitavit adversus Romanos.* Corn. Nep. Annib. c. 10. *Quod (bellum) Prusias Annibalis fiducia rupto foedere prior intulit.* Iustin. I. 32.
 891 *Atque armata dolis mens et vis insita fandi.* Ita de Annibale Silius I. 1.
 894 *Accensae exultant mentes, haustusque medullis Annibal exagitat stimulatque sequentia bella.* Silius Ital. I. 1.
 897 *Annibalem aiebant Legati Romani haud quieturum ante, quam bellum toto orbe terrarum concisset.* Liv. 33, 49.
 903 ... dextra haec, en, dextera, quam tu
 Aeneadis lacerare dabus, et littora et amnes,
 Et stagna et latos implevit sanguine campos. Sil. Ital. I. 11.
 906 Flaminini ipsius vox: *Nec Annibalem quidem Alexandro M. postponendum.* Iustin. I. 30.
 911 Sollicite deprecatum pro Annibale Prusiam, testatur Plutarchus in Flamin.
 912 Prusiam nec ausum esse negare neque ius hospitii violare, narrat Corn. Nep. Annib. c. 12.
 928 Crudelitatis damnatum esse a multis Quintium, tradit Plut. in Flamin.
 932 Plut. in eodem.
 948 *Castra Punica ad tertium lapidem vallata portaeque Collinae adequitans ipse Annibal.* Plin. Hist. 15, 18.
 950 *Mora eius diei satis creditur saluti fuisse urbi atque imperio.* Liv. 22, 51.
 951 Mahabalis dictum: *vincere scis, Annibal, victoria uti nescis.* Liv. 22, 51. Florus quoque Mahabali Bomilcaris tribuit id dictum, 2, 6. Plutarchus autem (in Fab. Max.) Barcam id narrat dixisse.
 952 *Non omnia nimirum eidem Dii dedere.* Mahabal ad Annibalem, teste Liv. 22, 51.
 958 *Auditaque vox Annibalis fertur, potiundae sibi Vrbis Romae, modo mentem non dari, modo fortunam.* Liv. 26, 11.
 961 *Fidei regum nihil sane confisus.* Liv. 39, 51.
 963 *Prusiae vero levitatem etiam expertus erat.* Liv. 39, 51.
 1013 *Imperator factus, proximo triennio omnes gentes Hispaniae bello subegit.* Corn. Nep. in Annib. c. 3.
 1017 *Quacunque iter fecit, cum omnibus incolis conflixit; neminem, nisi victum, dimisit.* Idem ibidem.
 1020 Fugavit enim aut occidit P. Corn. Scipionem Cos. eiusque collegam Tiberium Longum, C. Flaminium Cos., Centenium Praetorem, L. Paulum et Varromen Coss., Cn. Servilium geminum et alios Consulares ad Cannas, C. Minutium Numatium nuper Magistrum Equitum, M. Minutium Rufum Magistrum Equitum, T. Sempronium Gracchum iterum Cos., M. Claudium Marcellum V. Cos., L. Posthumium Cos. designatum, Cn. Fulvium Praetorem, Cn. Fulvium alterum Pro Cos.; Corn. Nep. Annib. c. 4 et 5, Liv. I. 22, I. 23, I. 25 et I. 27.
 1023 Corn. Nep. Annib. c. 4 et 5. De Herdonia Liv. I. 27.
 1024 Cannensem cladem Alliensi parem fatetur ipse Liv. I. 22.
 1029 Victi Poeni ad Nolam a Marcello (Liv. I. 23), ad Beneventum a Graccho (Liv. I. 24), iterum ad Beneventum a Q. Fulvio Flacco (Liv. I. 25), in agro Crotonensi a P. Sempronio (Liv. I. 29).
 1030 Superati in Hispania Poeni totaque electi, a P. Corn. Scipione. Liv. I. 28. Syracusae et Sicilia subactae a Marcello. Liv. I. 25.
 1031 Pugna ad Metaurum atrocissima fuit. *Nunquam eo bello una acie tantum hostium interfectum est, redditaque aequa Cannensi clades, vel ducis vel exercitus interitu, videbatur. Quinquaginta sex millia hostium occisa.* Liv. 27, 49. Ad Zamam debellatum est, ut ipse Annibal in Senatu Carthagine fateretur, *non praelio modo se, sed bello victum,* Liv. 30, 35.
 1044 Plutarch. in Flaminio.
 1075 Romani timebant Annibalem, etiam finito Bello Punico, ut aperte fatetur Iustinus I. 31: *apud timentes.* Et ibidem: *Senatus metu perculsus etc.* Silius autem Italicus ita de Annibale canit, narrato Romanorum metu: ... *fruiturque timore paventum.* I. 12.

Akt 4

- 1098 *Modii duo annularum Carthaginem missi.* Florus, 2, 6. Alii tres statuunt. Sic Plinius: *trimodia illa annularum.* Hist. Nat. 33, 1 et Orosius, 4, 15: *tres modios annularum aurorum Carthaginem misit.* Idemque totidem verbis testatur Augustinus, Civ. Dei, 3, 19. Alii unum fuisse modium, alii plusquam 3½ tradiderunt. Silius nihil definit, sed simpli- citer, haud parvum fuisse acervum, I. 11. Lucianus quoque modios nominat, in Dial. Mort.
 1109 Polyb. Hist. 11, 71.
 1110 Mirantur hoc Livius, 28, 12 et Polybius, Hist. 11, 17.
 1112 *Vicit ergo Annibalem, non Populus Romanus toties caesus fugatusque, sed Senatus Carthaginiensis obtrectatione atque invidia.* Ita ipse Annibal, apud Livium, 30, 20.

- 1136 *Furiā facemque huius belli* (Punici II) appellat Annibalem Hanno, apud Livium, 21, 10.
- 1137 Senatus Carthaginiensis post Bellum Punicum alterum clamabat, *satis pro temeritate unius hominis* (Annibalis) *suppliciorum pensum esse*. Liv. 34, 61.
- 1138 *Saguntinum scelus* Livius, ex persona Scipionis, eius, qui Africano Maiori pater fuit, 21, 41.
- 1139 Ita Carthaginienses Legati Romae in Senatu, *eum [statt eam] iniussu Senatus non Alpes modo, sed Iberum quoque transgressum*. Liv. 30, 22.
- 1141 *Principem civitatis* appellat Annibalem Livius, 33, 48; et Iustinus I. 31 de Annibale *civitas principem suum ... expectabat*.
- 1157 *Damnatus, aequo animo rem tuli*. Lucianus, in Dialog. Mortuorum.
- 1169 *Ita Africa Annibal accessit, saepius patriae quam suorum eventus miseratus*. Liv. 33, 48.
- 1198 ... *odiumque perenni*
 Servatum studio et mandata nepotibus arma. Sil. Ital. I. 1.
- 1199 *Qui quidem* (Annibal), *cum patria pulsus esset et alienarum opum indigeret, nunquam destiterit animo bellare cum Romanis*. Corn. Nep. in Annib. c. 1.
- 1211 *Odiis etiam prope maioribus certarunt quam viribus*. Liv. 21, 1.
- 1213 Cum Sagustum obsideret Annibal, missi sunt a Romanis Legati *ad ducem ipsum in poemam foederis rupti deposendum*. Liv. 21, 6.
- 1213 Post praelium ad Zamam: *Postulantique ante omnia Scipioni, ut Annibal sibi traderetur*. Liv. 30, 37. Eundem rursus dedi petierunt Romani Legati, M. Claudio, L. Furio Coss., Corn. Nep. Annib. c. 7.
- 1214 *Cum ab Antiocho Romani inter ceteras conditiones pacis deditio[n]em eius deposcerent*. Iustin. I. 32. Narrat et Corn. Nep. in Annib. c. 9.
- 1217 *Annibalem unum se peti ab Romanis non fallebat; et ita pacem Carthaginiensibus datum esse, ut inexpiable bellum adversus se unum maneret*. Liv. 33, 47. *Romanorum inexpiable odium in se cernens*. Liv. 39, 51.
- 1220 *Vi Annibal etiam statuae tribus locis visantur in Vrbe*. Plin. 34, 7. Ita Annibal ad filium, quem a Poenis petitum, ut victimam immolarent, dedere recusavit. Sil. Ital. I. 4.
- 1225 *Spes, o nate, meae*, ...
 ... *terraque fretoque*
 Certare Aeneadis, dum stabit vita, memento.
 Ita Annibal ad filium, quem a Poenis petitum, ut victimam immolarent, dedere recusavit. Sil. Ital. I. 4.
- 1237 Annibal ipse *velut haereditate relictum odium paternum erga Romanos sic confirmavit, ut prius animam quam id deposuerit*. Corn. Nep. in Annib. c. 1.
- 1267 *Septem exitus e domo fecerat et ex iis quosdam occultos, ne custodia sepirentur*. Liv. 39, 51. Idem est apud Plutarchum in Flamin. et Corn. Nepotem in Annib. c. 12.
- 1269 Annibal *fugere conatus* ante mortem. Liv. 39, 51. Confirmat et Plut. in Flam.
- 1271 Cum primum Carthagine ad Antiochum fugit, *cedere temporis et fortunae statuit*, ut ait Livius, 33, 47.

Chorus II.

- 1290 *Profecit poto Mithridates saepe veneno,*
 Toxica ne possent saeva nocere sibi. Martial. 5, 77.
 Habet id etiam Plinius, Hist. Nat. 25, 2; A. Gellius, 17, 16; Florus, 3, 5; Appian. Mithr. 1297 Cinctum a rebellibus diademate Pharnacem, constat ex Appiano, in Mithr.
- 1303 Sylla et Lucullus, praecipui Romanorum Imperatorum, qui ante Pompeium Mithridati bellum intulerant. Nominantur cum ab aliis, tum a Floro, 3, 5.
- 1353 *Venena ... frustra expertus, suo se ipse gladio transegit*. A. Gell. 17, 16. *Male tentatum veneno spiritum ferro expulit*. Florus, 3, 5.
- 1355 Bitium rogavit, ut morituri manum iuvaret. Appianus in Mithridat.
- 1390 *Mithridates ... bello acerrimus, virtute eximius; aliquando fortuna, semper animo maximus*. Vell. Pat. I. 2.
- 1391 *Mithridates, maximus sua aetate regum*. Plin. Hist. Nat. 25, 2.

Akt 5

- 1426 *A primo colloquio Flaminini [statt flam-] milites extemplo ad domum Annibalis custodiendam missi sunt*. Livius, 39, 51. *Totius circuitum domus ita custodisi complexi sunt, ut nemo inde elabi posset*. Idem ibidem. Adde Plut. in Flamin.
- 1437 *Mores quidem Populi Romani quantum mutaverint, vel hic dies argumento erit. horum patres Pyrrho regi, hosti armato, exercitum in Italia habenti, ut a veneno caveret, praedixerunt; hi legatum consularem, qui auctor esset Prusiae per scelus occidendi hospitis, miserunt*. Verba Annibalis ante mortem, relata a Livio, 39, 51.

- 1483 *Sed grave imperium regum nihil inexploratum, quod investigari volunt, efficit.* Livius, 39, 51.
- 1510 *Fuit et Libyssa oppidum, ubi nunc Annibalis tantum tumulus.* Plin. Hist. 5, 32. Obiisse Annibalem Libyssae, memorat Plutarchus quoque in Flaminio et Appianus in Syriac. *Venenum bibit et apud Libyssam in finibus Nicomediensium sepultus est.* Paulus Diac. Aquilei. Hist. l. 4.
- 1574 Plutarchus in Fabio Max. *virum audacem, Annibalem.*
- 1598 Veneno perisse narrant Graeci et Latini, profani et sacri. *memor pristinarum virtutum, venenum, quod semper secum habere consueverat, sumpsit.* Corn. Nep. in Annib. c. 12. De veneno Annibal Appianus Syriac., Liv. 39, 51, Plut. Flamin., Iustin. l. 32, Sil. Ital. l. 2 et l. 13, Iuv. sat. 10, Oros. 4, 20, Paul. Diac. l. 4, Ado in Chron. aetates, D. Hier. ep. 11.
- 1601 *Liberemus, inquit, diurna cura Populum Rom.* Liv. 39, 51.
- 1603 In praelio ad Cannas Annibal, *caede satiatus, parci iussisse perhibetur.* D. August. de Civ. Dei, 3, 19. Donec Annibal diceret militi suo, parce ferro. Florus, 2, 6.
- 1605 *Nec magnam nec memorabilem ex inermi prodiisque Flamininus victoriam feret.* Verba morientis Annibal, teste Livio, 39, 51.
- 1624 *Annibal proditus ab hospite.* Liv. 39, 52.
- 1625 *Execratus deinde in caput regnumque Prusiae et hospitales deos violatae ab eo fidei testes invocans.* Liv. 39, 51.
- 1629 Narrat haec Polybius, in Legat. Excerpt. 97; ex eoque Livius, l. 45 c. ult. *eum regem indignum maiestate nominis tanti ... pileatum capite raso obviam ire legis solitum libertumque se Populi Rom. ferre et ideo insignia ordinis eius gerere. Romae quoque ... osculo limen curiae contigisse et deos servatores suos Senatum [statt sen-] appellasse.*
- 1636 *Mithridates ... odio in Romanos Annibal.* Vell. Pat. l. 2.